West Virginia University Libraries
3 0802 102289813 6

2186

5a
v.4
1771

DO NOT CIRCULATE

ARTIS MEDICÆ
PRINCIPES.

TOMUS QUARTUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
LYRASIS members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/artismedicaeprin04hall

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES

HIPPOCRATES, ARETÆUS, ALEXANDER, AURELIANUS, CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER,

PRÆSES SOCIET. REG. SCIENT. GÖTTING. SODALIS ACADD. REG. SCIENT. PARIS. CHIR. REG. GALL. IMP. BEROL. SUEC. BON. ARCAD. BAVAR. SOC. SCIENT. BRIT. EDIMB. UPSAL. BAT. BOT. FLOR. HELVET. IN SENATU SUPREMO BERNENSI DUCENTUMVIR.

TOMUS IV.

LAUSANNÆ,

Sumptibus FRANC. GRASSET & SOCIOR.

M. D. CC. LXXI.

R
111
.H35
v.4
1771

PRÆFATIO

AD TOMUM IV.

HIPPOCRATIS ecce opera omnia, amice lector, quorum commodam editionem iis medicis curare viſum eſt qui græcarum litterarum minus ſtudioſi, tamen divi ſenis præſagiis & conſiliis uti volent. Criticam manum non adhibui: aliis laboribus mea tempora debui, neque ſatis profunde linguam COI ſum meditatus, ut meo arbitrio magis crederem, quam FOESIO aliiſque editoribus. Subinde tamen, ut ferebat occaſio, dum menda lego, aliqua vocabula in melius reformavi. Præfatiunculas cuique libro addidi, ut præcipuum auctoris ſcopum indicarem, & mea de ea quæ-

ſtione cogitata aperirem, ſitne quiſque liber vere HIPPOCRATICUS. In re conjecturis obnoxia, in qua demonſtratio ſperari nequit, conſului veteres, Galenum etiam potiſſimum: deinde librum ipſum, ut videretur vel aliqua poſteriora inventa tradere; vel ratiociniis indulgere philoſophicis, quæ a Medicina HIPPOCRATEM ſeparaſſe CELSUS idoneus auctor exſtat; vel demum errores & opiniones contineret, alienas ab HIPPOCRATICIS. In primum tomum collegi, quæ ab omni tempore pro HIPPOCRATICIS habita fuiſſent. Et tamen etiam hic, dum hæc opera ſollicite lego, ſæpe lecta prius, nova mihi dubia ſunt enata. Ita in libro de aëribus aquis & locis, de quo nunquam dubitatum fuit, auctoris in Europa nati manifeſtum opus eſt: neque vero putem

COUM virum Europæum potius quam Aſiaticum haberi poſſe. Niſi forte Doricam ob originem ſe Europæ addixerit.

Deinde in libro *de Alimento* tamen locus eſt, qui ad ERASISTRATEA tempora, aut iis etiam poſteriora, videatur pertinere, cum & arteriæ a venis diſtinguantur, & à corde naſci, & ab eo ſanguinem & ſpiritum in omnia vehere dicantur. Verum mitiora ubique ſecutus, non ſuſtinui damnare librum, quem GALENUS pro legitimo habeat.

In ſecundam claſſem eos conjeci libros, qui non videantur ipſius eſſe HIPPOCRATIS: quod vel aliena varia ab ipſius DIVI SENIS placita tradant, vel nuperiora inventa, vel ejuſmodi demum vitia contineant quæ HIPPOCRATES ipſe damnaverit, neque ideo videatur commiſiſſe. Cæterum bo-

na ſunt in univerſum ſcripta, eorumque multa à GALENO vel ad ipſum HIPPOCRATEM referuntur, vel certe ad primos viri diſcipulos, aut filios generumque.

In tertiam claſſem eos conjeci, qui magis manifeſto ſpurii eſſent: ſive mera fuerint aliorum operum HIPPOCRATICORUM compendia, ſive in ratiociniis ſolis occupentur: ſive indicta fuerint veteribus: ſive demum magno viro indigna, quales ſunt epiſtolæ.

Video diſpliciturum multis, quod Epidemicorum duos libros a quinque reliquis ſeparaverim, quod Prædictionum librum ſecundum a primo avulſerim. Verum cum ex communi ſenſu veterum illi quidem libri genuini eſſent HIPPOCRATIS labores, iſti vero incerti auctoris, neque DIVI SENIS ſint opera, certe viſum eſt conſultum eos li-

bros ſeorſim digniori loco reponere, qui legentium fidem mereantur; alioqui antiqui eſſent, neque tamen HIPPOCRATICI. Infinitis erroribus, infirmiſque ratiociniis locum dedit genuinorum ſcriptorum cum ſpuriis confuſio: quæ dum miſcuerunt nuperi, pro inventis HIPPOCRATIS anatomicis, pro placitis VIRI SUMMI, alienorum temporum induſtriam produxerunt, debilemque ignotorum hominum auctoritatem.

Eo minus vero nos ſollicitos tenuerit, ſi limites claſſium non ſemper firmiſſime conſtituerim: & aliquis enim hic locus eſt, citra quem error ſit innoxius. Totum nempe HIPPOCRATEM medicis trado, etſi paulo aliter diſpoſitum quam in vulgaribus ſolet editionibus.


Ita utere his noſtris laboribus, *Lector benevole*, qui nihil hic nobis ſumamus, præter voluntatem publicis ſerviendi commodis, ARETÆUS continuo ſequetur.

Dabam Bernæ Helv. die 1. Novembris 1770.

TABULA TOMI QUARTI.

1 Hippocratis de sanorum victus ratione. pag. 1
2 Ejusdem lib. II. 31
3 Ejusdem lib. III. 60
4 De victus ratione salubri. 81
5 De insomniis. 88
6 De ulceribus. 101
7 De fistulis. 115
8 De hæmorrhoidibus. 122
9 De veteri medicina. 129
10 De arte 155
11 De medico. 169
12 De decenti habitu. 178
13 Præceptiones. 186
14 De lege. 195
15 De jurejurando. 197
16 De hominis structura. 199
17 De natura hominis. 200
18 De ætate. 208
19 De ætate fragmentum. 210
20 De septimestri partu. 211
21 De significatione vitæ et morbis secundum motum

LUNÆ ET ADSPECTUS PLANETARUM. pag. 214
22 De liquidorum usu. 230
23 De medicamentis purgantibus. 238
24 De veratri usu. 241
25 Antidoti. 243
26 De exsectione fetus. 245
27 De re veterinaria. 247
28 Epistolæ. 268
29 Vita ex Sorano. 318
30 De vita et familia scriptisque Hippocratis testimonia. 322
31 Fragmenta et elogia. 345
32 Consentientia. 367
33 Contradicta et defensa. 399



HIPPOCRATIS
DE
SANORUM VICTUS RATIONE
LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

INdignum eſſe HIPPOCRATE GALENUS *&* MERCURIALIS. *Sed antiquus certe eſt, qui* HERACLITI *præcepta contineat, idem mire brevis, obſcurus, & hactenus hippocraticus. Omnia conſtare igne & aqua, hæc ſufficere omnibus, illum movendo, hanc alendo; ex iis etiam animam miſceri. Temperamenta octo ex varia aquæ & ignis portione & ex utriusve vario robore fieri. Ad quodque temperamentum idonea victus ratio enumeratur. Sed etiam animorum varietas recenſetur, quæ ex diverſa hac elementorum temperie naſcitur, & cujusque remedia. Ita cholerico homini frigida & hu-*

mida victus ratio præſcribetur, tum balnea, nulla venæ incidendæ facta mentione. Adparet temperamentorum theoriam longe ab ea differre, quæ reperitur in libro de carnibus. Duplex tamen, ut in libro de genitura, ſemen hic reperias, ipſique mores a prædominio maſculi ſeminis aut feminei deducuntur. Duplicem etiam uterum admittit; & in univerſum præſidiis ab exercitatione & a vomitu petitis ad fines medicos utitur. Hactenus a lib. III. non diverſus.

Hæc facilia, multo obſcuriora quæ ſequuntur, in quibus noſter olim ILL. COLLEGA J. M. GESNERUS *pro ſua ſingulari ſagacitate germina animalium & plantarum detexit, quæ incorrupta alterne conſpicua fiunt & vegetant aut adoleſcunt, alterne in ſtatum inconſpicuum redeunt. Intercedunt multa, quorum ſenſum & ſcopum ægre invenias.*

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

Docet quæ diætam ſalubrem inſtituenti prænoſcenda ſint; ex quibus animantium corpora conſtituantur; humanos artifices cum natura confert; nec non maſculos cum fœminis inter ſeſe in corporis robore, auctione, & nutritione. De temperamentis ætatum, ſexusque agit; ac de variis animi pathematibus.

CAPUT I.

Proemium totius operis, adtentione, docilitate, & benevolentia conditum; quæ diætetico medico prænoſcenda, ac de cibi ac potus facultate.

SI quis ex iis, qui prius de humano victu, ad ſanitatem conferente, ſcripſerunt, omnia in totum recte cognoviſſe, & quantum humanæ menti conceditur, conſcripſiſſe mihi videretur, ſatis eſſet id mihi, labore expleto ab aliis, quæ noſſem recte ſe habere, iis uti, prout ipſorum quidpiam utile eſſe videretur. Nunc vero multi quidem ſcripſerunt, nullus tamen, quid ſcribendum eſſet, recte cognovit. Alii quidem aliud adſequuti ſunt; totum vero, ne unus quidem adhuc ex his, qui ante exſtiterunt. Neque tamen eorum quiſquam merito reprehendendus eſt, propterea quod invenire non potuerint; quin potius laudandi omnes, quod inveſtigare contenderint. Neque ergo, quæ recte dicta non ſunt, arguere decrevi; ſed iis, quæ ſatis ſunt explorata, adſentire in animum induxi. Quæcunque igitur recte a prioribus dicta ſunt, de iis fieri non poteſt, me aliter ſcribentem recte ſcribere: quæ vero non recte dixerunt, ſi ea quidem, quod ita non ſe habeant, redarguero, nihil profecero; at explicando quomodo eorum quodque recte habere videatur, declarare volo. Hanc autem orationem ideo præponendam duxi, quod plerique homines ubi aliquem prius de re aliqua differentem audierint, eum qui poſterius his de rebus diſceptat, non probant, neſcientes ejuſdem mentis eſſe de his, quæ recte dicta ſunt (& invenire quæ dicta non ſunt) cognoſcere. Ego igitur, quæ recte dicta ſunt, ut dixi, iis adſentiar:

quænam vero ſint, quæ non recte fuerint cognita, ea declarabo. Quin etiam ea, quæ nullus ex prioribus explicare aggreſſus eſt, illa quoque qualia fuerint, demonſtrabo.

CAPUT II.

Inſtitutum ſuum proponit de diæta tum univerſali, tum particulari, ad quod ciborum, potionum, laborum, aſtrorum, regionum facultates dignoſcendæ ſunt.

QUI de hominis victus ratione recte ſcripturus eſt, eum dico, primum quidem totius hominis naturam noſſe ac dignoſcere oportere: noſſe quidem, ex quibus ab initio conſtitutus eſt; dignoſcere vero, quænam in eo partes ſuperent. Niſi enim primam conſtitutionem noverit, quodque in corpore ſuperat, ea, quæ homini conducunt, minime offerre poterit. Hæc igitur conſcribentem cognoſcere oportet; deinde vero ciborum omnium, ac potionum, quibus in victu utimur, quam ſingula facultatem, tum ex natura, tum ex neceſſitate & arte humana obtineant: ſcire namque decet, qua ratione fortibus natura vires detrahere: & quomodo imbecillis, ut cujusque occaſio ſe obtulerit, vires ex arte adhibere oporteat. Qui vero commemorata noverit, huic nondum idonea eſt hominis curatio: quandoquidem homo comedens; niſi etiam (laboribus) exerceatur, ſanus eſſe non poteſt. Cibi enim & labores contrarias inter ſe facultates, mutuo tamen ad ſanitatem conferentes, obtinent: labores namque, ea, quæ adſunt, conſumere ſo-

lent; cibi vero & potiones ea, quæ vacuata ſunt, explere. Laborum autem, quantum par eſt, facultas, tum eorum, qui a natura, tum eorum, qui per vim contingunt, dignoſcenda eſt; & quinam ex ipſis carnes ad incrementum, & qui ad defectum, præparent. Neque iſta tantum; verum etiam conveniens laborum modus pro ciborum copia, & hominis natura, & corporum ætate, pro anni temporibus, ventorumque mutationibus, & pro locorum ſitu, in quibus vitam agunt, & pro anni conſtitutione. Quin etiam ſiderum ortus, & occaſus noſcendi ſunt; quo & ciborum, ac potionum, ventorumque, ac totius mundi viciſſitudines, exceſſusque, ex quibus ſane morbi hominibus proveniunt, obſervare ſciat. Qui tamen hæc omnia noverit, huic inventum nondum ſatis eſt: nam ſi præter hæc inventus fuerit cujusque naturæ conveniens cibi modus, & laborum numerus, qui neque ſupra, neque infra modum excedat, ſanitas profecto hominibus exacte inventa fuerit. Nunc vero prædicta quidem omnia, quænam ſint, inventa ſunt; hoc vero inveniri non poteſt. Si igitur quis præſens adſit, & inſpiciat hominem exſuentem ſe veſtibus, & in gymnaſiis exercentem, is utique noverit, hæc quidem detrahendo, illa vero adjiciendo, ut ſanum ſervare oporteat. Qui vero non adfuerit, is exacte cibos & labores præſcribere non poterit; quum, quantum quidem quis invenire poſſit, a me jam relatum ſit. Nam ſi a reliquis vel parum admodum deficiant, temporis tamen ſpatio corpus ab exceſſu ſuperari, & in morbum incidere, neceſſe eſt. Ab aliis igitur, ut hucusque inveſtigatione pervenirent, tentatum eſt, neque vero hæc dicta ſunt; a me autem inventa eſt morbi prænotio, etiam antequam

homo ab exceſſu ægrotet, utramvis in partem fiat. Neque enim morbi confertim hominibus accidunt; ſed paulatim collecti, repente ſe produnt. Prius ergo quam in homine, quod ſanum eſt, a morboſo ſuperetur, quæ perpetiantur, & ut ea ſanitati reſtituenda ſint, a me inventa ſunt. Hoc autem ſcriptis addito, meditationum conatus perficietur.

CAPUT III.

Inſtitutum aggreditur, & de principiis naturalibus univerſim diſputat; quæ duo conſtituit, ignem & aquam, quatuor donata qualitatibus.

OMNIA igitur tum animantia, tum homo ipſe ex duobus, facultate quidem diverſis, uſu vero conſentientibus conſtant: igne (inquam) & aqua. Quæ duo ſimul juncta, tum aliis omnibus, tum ſibi invicem ſatis ſunt; utrumque vero ſeorſim, neque ſibi ipſi, neque cuiquam alteri (ſuffecerit.) Horum igitur utrumque hanc obtinet facultatem. Ignis ſiquidem omnia ſemper movere; aqua vero omnia ſemper nutrire, poteſt: at ſecundum partes utrumque ſuperat & ſuperatur, ad ſummum ac minimum, quoad fieri poteſt. Neutrum enim hanc ob cauſam prorſus ſuperare poteſt. Ignis ſiquidem in extremam aquam irruens, alimento deficitur; avertitur igitur eo, unde alimentum ſumpturus eſt. Aquam vero in extremum ignem irrumpentem deficit motus. In ea itaque ſiſtitur: & quum conſtiterit, non amplius ſuperior eſt; ſed protinus ab irruente igne in alimentum conſumi-

tur: propterea que neutrum penitus ſuperare poteſt. Quod ſi alterutrum aliquando etiam ſuperaretur, nihil eorum, quæ nunc ſunt, veluti nunc ſe habet, permaneret. Quum autem ita ſemper ſe habeant, eadem erunt, & neutra, neque ſimul deficient. Ignis igitur & aqua, quemadmodum a me dictum eſt, in ſummo ac minimo ſimiliter conſiderata, omnibus in univerſum ſatis ſunt. Horum autem utrique hæc adjuncta ſunt: igni quidem calidum & ſiccum; aquæ vero frigidum & humidum. Habent autem a ſe invicem: ignis quidem ab aqua humiditatem; ineſt enim ab aqua humiditas: aqua vero ab igne ſiccitatem; ineſt enim aquæ ab igne ſiccitas. Quibus ſic ſe habentibus, in multas cujusvis generis, tum ſeminum tum animalium formas, nihil inter ſe, neque viſu, neque facultate ſimiles, a ſe invicem ſecernuntur. Quum enim nunquam in eodem ſtatu permaneant, ſed perpetuo alterentur; temporis tandem ſucceſſu, quæ etiam ab his ſecernuntur, diſſimilia oriri neceſſe eſt.

CAPUT IV.

Eorum, quæ ex principiis orta ſunt, non ortum; ſed alterationem, incrementum & decrementum eſſe.

NIHIL quidem rerum omnium perit, neque oritur, quod prius non erat; verum invicem commixta & diſcreta, alterantur. At homines exiſtimant, id quidem, quod ex orco in lucem augetur, oriri: quod vero ex luce ad orcum imminuitur, perire; oculis autem magis creden-

dum, quam opinionibus. Ego vero iſta ratione exponam. Animantia namque ſunt & illa, & iſta: neque animal interire poteſt, quin omnia intereánt (etenim unde moriatur?) neque quod non eſt, generari: quum non ſit unde generetur. Verum augentur omnia, & imminuuntur ad ſummum, & ad minimum, quoad ejus fieri poteſt.

CAPUT V.

Rerum naturalium declarationem adgreditur, ejusque baſin primo ſupponit: mox in genere deſcribit, de generatione & corruptione, ac divinæ neceſſitate.

QUID autem generari & interire vocem, multorum gratia expono; ea vero & commiſceri, & ſecerni, ſignificare declaro. Sic autem ſe res habet: generari, & interire idem; commiſceri & ſecerni idem. Generari idem, quod commiſceri. Interire, imminui, idem ac ſecerni. Unumquodque ad omnia, & omnia ad unumquodque idem ſunt. Lex enim in his naturæ adverſatur; ſeorſum vero omnia, & divina, & humana ſurſum & deorſum viciſſim rependuntur. Dies & nox ad ſummum & minimum conſiderantur, velut lunæ ſummum ac minimum accedit. Igni ſuus eſt impetus, & aquæ item ſuus; ſol ad longiſſimum, & breviſſimum accedit; rurſus hæc, & non hæc: lux Jovi, tenebræ orco, lux orco, tenebræ Jovi: commeant & tranſmoventur illa huc, & hæc illuc, & omni quidem tempore; illa horum, hæc vero illorum res peragunt; & quæ quidem faciunt, neſciunt; quæ

vero non faciunt, ſcire videntur: & quæ quidem vident, non cognoſcunt. Et tamen his omnia neceſſitate divina contingunt, & quæ volunt, & quæ nolunt. Illis autem huc, his vero illuc commeantibus, & invicem commixtis, fatalem ſuam ſortem unumquidque complet, & ad majus, & ad minus. Interitus autem eſt omnibus mutuus: & majori a minore, & minori a majore. Quin etiam majus a minore, & minus a majore augetur; tum reliqua omnia, tum hominis animus & corpus, velut anima certo ordine gubernantur. Irrepunt autem in hominem partes partium, tota totorum, quæ ignis & aquæ commixtionem habent, partim quidem ſumptura, partim datura: & quæ quidem ſumunt, plus faciunt; quæ vero dant, minus. Lignum homines ſerra ſecant: & hic quidem trahit, alter vero trudit; idem tamen faciunt, & minus facientes plus faciunt. Idem & hominis natura, partim quidem propellit, partim vero trahit: partim dat, partim etiam accipit: & alii quidem dat, ab alio vero accipit, & alii quidem tanto plus dat, ab hoc vero tanto minus accipit. Locum autem ſuum quidque tuetur; & quæ quidem ad minus tendunt, in minorem locum ſecernuntur: quæ vero ad majus proficiſcuntur, commixta in majorem claſſem tranſeunt. Externa vero, neque ejusdem generis, ex aliena regione pelluntur: in unoquoque autem anima, majora & minora habens, ſuas ipſius partes circummeat, quæ nec adpoſitione, nec detractione indigent; quum tamen eorum, quæ adſunt, accretione, & imminutione opus habeat. Locum vero ſingula conficiunt, in quem ingrediantur, & ea, quæ incidunt, ſuſcipiant: neque enim poteſt, quod non eſt ejusdem generis, in loco minime ſibi conveniente permanere;

vagantur ſiquidem non adgnita; invicem vero permixta, ſimul cognoſcuntur. Conveniens enim convenienti adhæret; haud convenientia vero diſſident & pugnant, & a ſe invicem ſeparantur. Quam ob cauſam hominis anima in homine, neque in ullo alio incrementum, accipit; eodemque modo de magnis animalibus. Quæcunque vero aliter per vim mutuo ſecernuntur: de aliis animalibus prætermittam; de homine vero declarabo.

CAPUT VI.

De hominis ortu, incremento, alimento, & mixtionis harmonia excellentiſſima.

IRREPIT autem in hominem anima, ignis & aquæ contemperationem obtinens, ſortem corporis humani. Hæc autem feminea & maſcula, multa & cujusvis generis nutriuntur: nutriuntur autem & augeſcunt victu, quo homo utitur. Quæ vero ingrediuntur, ea omnia partes habere neceſſe eſt; nam cujuscunque pars non inerit a principio, nullo unquam modo augeri poterit, neque copioſo neque exiguo accedente alimento; quum non habeat, quod incrementum accipiat. Augetur autem quidque in ſuo loco, quod omnia habet: ſuperveniente vero alimento, ab aqua ſicco, ab igne vero humido, alia quidem intro, alia vero foras vi adiguntur. Quemadmodum fabri lignarii lignum ſerra ſecant, & alter quidem trahit, alter vero trudit, idem ſane facientes; & qui deorſum urget, eum, qui ſupra eſt, trahit; neque enim aliter deorſum ire poſſet: ſin per vim agant, penitus aberrabunt. Ita ſe

habet hominis alimentum: aliud quidem trahit, aliud vero trudit; intro vero vi actum, foras trahit; ſi autem intempeſtive per vim agatur, prorſus ſucceſſu fruſtrabitur. Sed ſingula tanto tempore eundem habent ordinem, quoad locus non amplius ſuſcipiat, neque ſatis alimenti ad extremum uſque aquarum habeant. Poſtea ad externam regionem tranſeunt tum feminea, tum maſcula, eodem modo, vi & neceſſitate coacta. Quæcunque vero fatalem ſortem implerint, hæc prima ſecernuntur, & ſimul commiſcentur; unumquodque ſiquidem ſecernitur, hæc autem omnia commiſcentur. Quæ ubi regionem permutaverint, & concentum tres conſonantias recte habentem nacta fuerint, comprehenſim per omnia penetrantes, iisdem, quibus etiam antea, vivunt & incrementum accipiunt. Quod ſi concentum non adſequantur, & gravia acutis minime conſona fuerint, prima conſonantia perit: & ſi ſecunda generatio adfuerit, quod per totum eſt, uno decedente, totus tenor vanus eſt. Non enim conſonantiam haberent; ſed a majore ad minus, ante deſtinatam ſortem, tranſitio fit; eo quod neſciunt, quid faciant.

CAPUT VII.

Hominis ortum & incrementum in utero demonſtrat.

At cur utrique, tum maſculus tum femina generentur, procedente oratione oſtendam. Horum autem quodcunque concentum ſortitum fuerit, dum humidum eſt, ab igne movetur; motum vero viveſcit, & alimentum ad ſe ab in-

gredientibus in mulierem cibo & ſpiritu adtrahit: imprimis quidem undique æqualiter, dum adhuc rarum eſt; motu vero & igne ſiccefcit, & ſolidefcit: & ſolidum redditum, circumquaque denſatur. Ignisque incluſus non amplius ſufficiens alimentum adtrahere valet, neque ſpiritum propter ambientis corporis denſitatem expellit. Abſumit enim quidquid intus humoris ineſt: ſolida quippe, quæ naturam in conſiſtenti & ſicco (poſitam habent), non concedunt igni in alimentum; ſed præfirma redduntur, & humore deficiente compinguntur, quæ quidem oſſa, & nervi nominantur. Ignis autem ex commixto humore commoto, corpus ſecundum naturam propter hanc neceſſitatem componit. Neque enim per ſolidum & ſiccum diutius permeare poteſt, quum alimentum non habeat; at per humida & mollia poteſt: nam hæc ipſi ſunt alimentum. In his autem etiam ſiccitas, ab igne non conſumpta ineſt. Hæc vero mutuo inter ſe conjunguntur. Ignis igitur penitiſſime concluſus, & plurimus eſt, & maximum exitum fecit, quum plurimus hoc in loco humor ineſſet, qui venter appellatur; indeque excidit foras, cum alimentum non haberet, ac tranſitus ſpiritus fecit & alimenti ſubvectionem, & concoctionem. Qui vero ad reliquum corpus excluſus eſt, triplices circuitus fecit. Etenim quod erat in igne humidiſſimum, in iis locis remanſit, quæ venæ cavæ appellantur; in medio vero harum, quod reliquum eſt, aquæ denſatum conſtitit, & carnes vocantur. Ad ſummam, ignis omnia, quæ ſunt in corpore, ſecundum ſuum ipſius modum, ad univerſi imitationem, parva cum magnis, & magna cum parvis, diſpoſuit. Ventrem quidem maximum, ſicci & humidi promptuarium conſtituit, ut omnibus da-

ret, & ab omnibus acciperet, maris habens facultatem, quod animalia in eo enutrita fovet, aliena vero perimit. Circum hunc autem eſt aquæ frigidæ, & humidæ coagmentatio, tranſitus ſpiritus frigidi & calidi, ad terræ imitationem, omnia in eam illabentia alterantis. Conſumens vero & augens, aquæ tenuis, & ignis diſperſionem fecit, obſcuri non apparentis & apparentis a compacto ſecretionem; in quo delata omnia ſingula pro fatali ſorte in apertum veniunt. In hoc autem triplices ignis circuitus fecit, in ſe invicem intro ac foras tendentes; alios quidem ad humorum cavitates, lunæ facultate: alios vero ad exteriorem ſuperficiem, ad ambientem conſiſtentiam, ſiderum facultate: medii autem, intro & foras permeantes, calidiſſimum & validiſſimum ignem (continent) qui cunctis dominatur, omniaque ſecundum naturam moderatur, ſine ſtrepitu tum ad viſum, tum ad tactum. In hoc anima, mens, prudentia, incrementum, motus, imminutio, permutatio, ſomnus, vigilia. Hic omnia in totum gubernat, & hæc, & illa, nunquam quieſcens.

CAPUT VIII.

Comparatione quarumvis aliarum actionum, & affectionum humanarum, ſive natura, ſive arte conſtent, naturalis ortus, & incrementi doctrinam confirmat, & illuſtrat.

AT vero homines ex manifeſtis obſcura in conſiderationem adhibere non noverunt. Ignorant enim, quod artibus utantur naturæ

humanæ ſimilibus. Deorum enim mens edocuit ipſos ſua ipſorum opera imitari, cognoſcentes, quæ faciunt, & ignorantes, quæ imitantur. Omnia enim ſimilia, quæ diſſimilia ſunt; & convenientia omnia, quæ ſunt differentia; loquentia, non loquentia; rationem habentia, ratione carentia: ſingulorum modus, qui in confeſſo eſt, aliquantulum adverſatur. Lex enim & natura, quibus omnia conficiuntur, conſentientes non conſentiunt. Legem quidem ipſi ſibi homines ſtatuerunt, ignorantes, de quibus ſtatuerent. Naturam vero omnium Dii certo ordine conſtituerunt: quæ igitur homines ſanciverunt, ea nunquam eodem modo ſe habent, ſive recta, ſive non recta ſint; quæ vero Dii ſanciverunt, ea ſemper recte habent. Atque recta & non recta, in tantum inter ſe differunt. Ego proinde artes manifeſtas, affectionibus hominum tum manifeſtis, tum obſcuris ſimiles eſſe demonſtrabo. Divinatio hoc munus habet: ut ex manifeſtis obſcura quidem cognoſcat, ex obſcuris manifeſta, & ex præſentibus, quæ futura ſunt, ex & mortuis, viventia. Ea etiam, quæ intelligentiam non habent, intelligunt, ſemper quidem recte, qui doctus eſt, indoctus vero alias aliter. Hominis naturam & vitam hæc imitantur. Vir cum muliere congreſſus, puerum creavit; ex re manifeſta obſcuram cognoſcit, quod ſic futurum eſt. Mens hominis obſcura, manifeſta cognoſcens, ex puero in virum tranſit, ex præſenti, quod futurum eſt, cognoſcit. Non ſimile quidpiam mortuus viventi, ex mortuo animal novit. Venter intelligentia caret; ex eo intelligimus, quod ſitit aut eſurit. Quæ artis divinandi & humanæ naturæ affectiones, intelligentibus quidem ſemper recte; ignorantibus vero alias aliter ſe habent.

Artis ferrariæ inſtrumenta ferrum colliquefaciunt, dum flatu ignem cogunt, alimentum, quod adeſt, detrahunt, quumque rarum fecerint, feriunt & ducunt; aquæ autem alterius alimento roboratur. Eadem homini a pædotriba contingunt: præſens alimentum igne detrahitur, dum ille vi ſpiritus impellitur; rarefactus vero tunditur, adteritur, extenuatur; aquis autem aliunde inductis corroboratur. Fullones quoque idem conficiunt, pedibus calcant, feriunt, eluendo tundunt, trahunt; lavando firmiora reddunt; quæ ſupereminent deradendo, & adtexendo pulchriora efficiunt. Eadem etiam homini contingunt. Sutores tota in partes dividunt; ſecando autem & pungendo lacera integra reddunt. Idem etiam in homine contingit, tota in partes dividuntur, & partium adpoſitione tota fiunt; pungendo & ſecando marcida a Medicis ſanantur, ac vivit homo. Medicina id, quod moleſtum eſt, amovet: & unde laborat auferens, ſanum facit. At natura ſponte hæc poteſt. Qui ſedet, laborat exſurgere: qui movetur, conatur requieſcere; atque alia ejusmodi natura, quæ ſunt medicinæ, ſibi vindicat. Fabri lignarii dum ſerra ſecant, hic quidem trudit, alter vero trahit, & ut idem fiat, utrimque res fert. Dum terebrant, unus quidem trahit, alter vero impellit. Premens alterum ſurſum trahit, alterum deorſum, & minus facientes plus faciunt, humanamque naturam imitantur. Spiritus hic quidem trahit, ille vero pellit, & ut idem fiat, utrimque contingit. Cibi partim quidem deorſum urgentur, partim vero ſurſum vergunt. Ab una anima dividente, plures & pauciores, majores, & minores fiunt. Qui domos conſtruunt, ex rebus differentibus unam convenientem efficientes, ſicca quidem humectantes,

humida vero ſiccantes, & tota quidem in partes ſecantes, ſecta vero conjungentes, (niſi enim ita contingeret, nihil proprie fieri poſſet), humani victus rationem imitantur, dum ſicca quidem humectant, humida vero ſiccant, tota in partes ſecant, ſecta vero conjungunt. Hæc omnia quum differentia ſint, naturæ conveniunt. Muſicæ organum primum adeſſe oportet, in quo concentus, quæ vult, declaret. Compoſitiones ex iisdem non eædem; ex acuto & gravi, nomine quidem ſimilibus, ſono vero non ſimilibus. Quæ plurimum differunt, maxime conveniunt, quæ minimum differunt, minime conveniunt. Si quis vero omnia ſimilia faciat, nulla aderit delectatio. Plurimæ & variæ admodum mutationes maxime delectant. Coqui opſonia hominibus parant cujusvis generis differentia commiſcentes, non eadem ex iisdem ad hominum cibum ac potum. Quod ſi omnia ſimilia facerent, nullam haberent delectationem; neque ſi eodem omnia componerent, ea utique recte ſe haberent. Pulſantur toni in muſica tum ſuperne, tum inferne. Lingua muſicam imitatur, & ex his, quæ illabuntur, quod dulce eſt & acidum, dignoſcit, & quæ ſunt diſſonantia & conſonantia. Pulſat autem ſonos ſupra & infra, neque quæ ſupra, ſi infra pulſentur, neque quæ infra, ſi ſupra, recte habent. At lingua probe compoſita, concentus (adeſt) delectatio; inconcinna vero, moleſtia. Coriarii tendunt, terunt, pectunt, lavant. Eadem eſt puerorum cura. Qui nectunt, aut texunt, fila in orbem ducendo plicant, a principio in principium deſinunt. Idem eſt circuitus in corpore; unde incipit, eodem deſinit. Qui aurum tractant, tundunt, lavant, molli igne liquant (neque enim vehementi coit) quod ubi elaboraverunt, ad omnia utuntur. Triticum

ticum homo tundit, lavat, molit, eoque igne ſubacto utitur, neque vehementi quidem igne in corpore conficitur, ſed leni. Statuarii corporis ſimilitudinem efficiunt, anima excepta, (neque enim mentem habentia fingunt,) ex aqua & terra, dum quæ ſunt humida, ſiccant, & ſicca humectant; & quæ ſuperant, demunt; & ad ea, quæ deficiunt, adjiciunt, ex minimo ad maximum incrementum perveniendo. Eadem homini contingunt: ex minimo enim ad maximum incrementum deducitur, dum quæ ſuperant, detrahit, & quæ deficiunt, apponit: ſicca humectando, & humida ſiccando. Figuli rotam verſant, quæ neque retrorſum, neque antrorſum procedit: ſed utramque in partem ſimul univerſi imitatione in orbem fertur. In ea autem cujusvis generis opera, neque inter ſe ſimilia, circumagendo efficiunt. Ex iisdem eadem hominibus eveniunt, reliquaque animantia in eodem circumactu omnia operantur, ex iisdem nihil ſimile, iisdem inſtrumentis, ex humidis ſicca, & ex ſiccis humida afficiendo. Grammatica tale quid eſt, figurarum compoſitio, quæ ſunt humanæ vocis notæ, facultas ea quæ præterierunt in memoriam revocandi, & quæ facienda ſunt demonſtrandi; ea cognitio per ſeptem figuras habetur. Hæc omnia homo tum literarum gnarus, tum earum rudis conficit. Per ſeptem etiam figuras ſenſus homini contingit; auditus ſoni, viſus apparentia, narium odor, linguæ ſuavitas & inſuavitas, oris ſermo, corporis calidi & frigidi tactus proprius eſt. Spiritus intro & foras permeat; & per hæc hominibus cognitio contingit. Palæſtra & pædotribæ, tale quid docent; ex inſtituto leges violare, jure injuriam inferre, decipere, furari, rapere, vim pulcherrimis ac turpiſſimis inferre. Quæ qui non facit, malus eſt; qui vero

facit, bonus; indicium hoc multorum imprudentiæ, hæc ſpectant, & unum præ omnibus probum judicant, reliquos vero malos. Multi mirantur, pauci vero cognoſcunt. Homines in forum progreſſi eadem perpetrant, dum vendendo & emendo decipiunt. Qui plurimum decepit, eum admirantur. Bibentes & inſanientes eadem peragunt, currunt, luctantur, pugnant, furantur, decipiunt, unus omnibus præfertur. Hiſtriones & deceptores coram ſpectatoribus alia dicunt, alia ſentiunt. Iidem prorepunt & irrepunt minime iidem. Homini datum eſt alia quidem dicere, alia vero facere; eundemque non eſſe eundem, & interdum quidem aliam habere mentem, interdum vero aliam. Sic ſane artes omnes cum natura humana communionem habent.

CAPUT IX.

Generalis ortus & incrementi humani theoriam prædictam ſingularium inductione illuſtrandam, confirmandamque proponit.

At vero hominis anima (ut a me etiam antea dictum eſt) ignis & aquæ temperamentum habens, partes quidem hominis, in omne animal quod reſpirat, irrepit, & in omnem ſane hominem, tum juniorem, tum ſeniorem: in omnibus autem non ſimiliter increſcit. Verum in juvenilibus quidem corporibus, quum nimirum velox ſit circuitus, & corpus ad incrementum aptum (ipſa nempe anima) velut incenſa & attenuata in corporis incrementum impenditur. At in ſenioribus, quum tarda ſit motio, corpuſque

ſane frigidum, in hominis imminutionem conſumitur. Quæ vero corpora in vigore ſunt & ætate ſecunda, ea nutrire & augere poteſt. Potentes autem homines ſunt: quisquis plurimos homines alere poteſt, is potens. Iis vero, quos alit, deficientibus, imbecillior eſt. Sic etiam ſingula corpora ſe habent. Quæ plurimas animas alere poſſunt, ea ſunt robuſtiora; his vero diſcedentibus, imbecilliora. Quidquid igitur in aliud corpus ingreſſum fuerit, non augeſcit; quidquid vero in feminam id augeſcit, ſi quæ conveniunt, nactum fuerit. Partes autem ſimul omnes diſcernuntur & augentur, neque una prior altera, neque poſterior: majores tamen natura minoribus priores conſpiciuntur, quum priores non ſint. Neque vero æquali tempore omnes fetus formantur; verum alii citius, alii tardius, prout quisque ignem & alimentum ſortitus fuerit. Quidam igitur fetus tribus ac quadraginta diebus conformationem habent; quidam quatuor menſibus. Eodem etiam modo vitales naſcuntur, quidam citius ſeptimo menſe perfecte; quidam tardius, nono menſe perfecte in lucem prodeunt, eam contemperationem habentes, quam ſemper habituri ſunt.

CAPUT X.

Ortus & incrementi humani diverſitatem ſecundum ſexum in mare & femina oſtendit.

MARES igitur & feminæ hoc modo, quoad ejus fieri poteſt, naſcuntur. Feminæ vero ab aqua magis, & ex frigidis, humidis, ac mollibus, tum cibis, tum potibus, & vitæ inſtitu-

tis, incrementum accipiunt. At mares ab igne magis, ex ſiccis videlicet & calidis cibis, reliquaque victus ratione. Si igitur feminam procreare ſit animus, victus ratione ad aquam tendente eſt utendum. Si vero marem, victus ratio, quæ ad ignem ſpectet, inſtituenda eſt. Ac neque ſolum hoc viro, ſed etiam mulieri peragendum. Neque enim ſolum quod a viro excernitur, ad incrementum aptum eſt, ſed etiam quod a muliere, iſtam ſane ob cauſam. Neutra quidem pars per ſe ſufficientem habet motionem ad humoris copiam, ut quod affluit, abſumat; ſed ex ignis imbecillitate concreſcit. Quum vero in unum ambo convenerint, in ſeſe mutuo incidunt, ignis ad ignem, & aqua eodem modo. Si quidem igitur in ſicco loco circumagatur, aquam, quæ ſimul illapſa eſt, ſuperat, ab eaque ignis incrementum accipit, ut non ab illabente unda exſtinguatur, ſed & id, quod ſupervenerit, excipiat, & quod jam ineſt, congreget. Si vero in humidum inciderit, ſtatim ab initio ab illabente unda exſtinguitur, & in minorem ordinem diſſolvitur. Uno vero cujusque menſis die, ea quæ irruunt, cogere & ſuperare valet, idque ſi contigerit, ut quæ ab utrisque immittuntur, in eundem locum conveniant. Conſiſtere autem inter ſe poſſunt & mas & femina, quandoquidem anima in omnibus animatis eadem eſt; cujusque vero corpus differt. Semper igitur anima tum in majore, tum in minore ſimilis eſt. Neque enim natura, neque neceſſitate immutatur. Corpus vero nunquam in ullo neque natura, neque neceſſitate idem eſt, quum partim in omnia ſecernatur, partim ad omnia commiſceatur.

Si igitur contigerit, ut ab utrisque maſcula corpora ſecernantur, pro re præſenti increſcunt, pro-

ereanturque viri animo clari, & corpore validi, niſi a ſubſequente victus ratione lædantur. Quod ſi a viro quidem maſculum ſemen ſecernatur, a muliere vero femineum, & maſculum ſuperaverit, anima quidem imbecillior ad validiorem admiſcetur, quum nihil ex his, quæ adſunt, familiarius habeat, ad quod ſe conferat. Parva enim majorem, & major minorem ſuſcipit: in commune tamen in ea, quæ adſunt, imperium exercent. Et maris quidem corpus augeſcit; feminæ vero minuitur, & in aliam ſortem ſecernitur. Atque hi quidem prioribus minus clari ſunt; ſed quoniam maſculum a viro excretum dominatum obtinuit, viriles procreantur, & hoc nomen merito obtinent.

At ſi a muliere maſculum quidem ſecretum fuerit, & a viro femineum, maſculumque dominatum obtineat, eodem modo, quo prius incrementum accipit, hoc vero minuitur; Androgyni autem procreantur, hocque nomine recte nuncupantur. Ac tres quidem hæ ſunt virorum generationes differentes in eo, quod plus aut minus tales ſint, ob partium aquæ temperationem, alimenta, educationes, & conſuetudines; de quibus etiam procedente oratione eſt agendum. Femina vero eodem modo procreatur, ſi quidem ab utrisque femineum ſecretum fuerit, feminæ maxime muliebres, & ad hanc indolem comparatæ naſcuntur. Quod ſi mulieris quidem ſemen femineum, viri vero maſculum fuerit, obtinuerit autem femineum; eodem modo augeſcit; & prioribus audaciores quidem ſunt, venuſtæ tamen & ipſæ. At ſi viri ſemen femineum fuerit, mulieris vero maſculum, prævalueritque femineum, eodem modo incrementum accipit, & prioribus longe audaciores naſcuntur, viraginesque nominantur. Si quis autem animam animæ commiſceri minime

ſibi perſuadeat, is ratione caret. (Quod ſi) carbones ardentes ad ardentes, validos ad debiles adjiciat, & ipſis alimentum exhibeat, eandem omnes corporis ſpeciem præbebunt, neque alter ab altero dignoſcetur; ſed quocunque in corpore ignem ſuſcitaverint, idem in omnibus erit. Ubi vero præſens alimentum conſumpſerint, in id, quod obſcurum eſt, ſecernuntur. Idem quoque humanæ animæ contingit.

CAPUT XI.

Ortus & incrementi humani diverſitatem in multitudine fetuum enarrat.

At vero gemellorum procreationem ſic oratio declarabit. Ut plurimum quidem natura uterorum muliebrium in cauſa eſt. Si enim utraque ex parte juxta oſculum æqualiter a natura comparati fuerint, & æqualiter hiaverint, & a purgatione ſiccentur, alere poſſunt, ſi viri ſemen conceperint, ita ut ſtatim dividatur. Sic enim in utrumque uterum æqualiter ſpargi neceſſe eſt. Si igitur copioſum ab utrisque & validum ſemen excretum fuerit, in utrisque locis augeri poteſt; accedens enim alimentum prehendit. At ſi alio quo pacto contingat, gemini non naſcuntur. Quum itaque ab utrisque maſculum ſemen ſecretum fuerit, in utrisque maſculos generari neceſſe eſt. Quum vero femineum ab utrisque, feminæ procreantur. Quum hoc quidem femineum, illud vero maſculum fuerit, quodcunque alterum ſuperaverit, id ipſum incrementum accipiet. Similes vero inter ſe gemelli hanc ob cauſam gignuntur. Imprimis quod æqualia ſint loca, in quibus

augeſcunt; deinde quod una excreti ſint, poſtea quod iisdem alimentis augeſcant, vitalesque in lucem producantur. Fetus autem ſuccedanei hunc in modum gignuntur. Ubi & uteri natura calidi & ſicci fuerint, & mulier ejusmodi, ſemenque calidum & ſiccum inciderit, nulla amplius in uteris reperitur humiditas, quæ ſuperincidens ſemen ſuperet. Quam ob cauſam initio coaleſcit, ac vivit; permanere autem non poteſt: quin etiam id, quod ineſt, inſuper corrumpit, quia non eadem utrisque conducunt.

CAPUT XII.

Ortus & incrementi humani diverſitatem ſecundum conſtitutionem corporis declarat, ubi pro ætatum diverſitate diverſa diæta inſtituitur.

QUOD aquæ tenuiſſimum, & ignis rariſſimum eſt, ea in hominis corpore contemperationem ſortita, ſaluberrimum habitum conſtituunt; propterea quod neque in maximis anni tempeſtatum mutationibus, neque in ætatum tranſmutationibus, neque in ciborum ac potuum victus ratione, aqua denſiſſima evadit in aquæ acceſſionibus, neque ignis in ignis incurſibus. Poſſunt enim ambo tum motionem, tum repletionem copioſam ſuſcipere. Æs tum molliſſimum, tum rariſſimum, plurimum temperamentum recipit, & optimum redditur. Eodem modo etiam quod in aqua eſt tenuiſſimum, & quod in igne eſt rariſſimum, contemperationem ſortita. Qui igitur hanc naturam habent, ſani omni tempore usque ad quadrageſimum annum perſeverant; quidam vero etiam usque ad extremam ſenectutem. Qui vero ſupra quadrageſimum an-

num morbo aliquo correpti fuerint, vix unquam evadunt. At vero corpora, quæ ignis validiſſimi & aquæ denſiſſimæ contemperationem ſumpſerint, valida quidem & robuſta evadunt, verum multa cura indigent Magnas enim utramque in partem mutationes habent, & in aquæ & ignis incurſibus eodem modo in morbos incedunt. Huic igitur victus ratione anni temporibus contraria uti confert. Aquæ quidem acceſſione contingente, (qui ad ignem, ignis vero incurſu contingente) iis quæ aquæ adverſantur utendum, ſenſim quidem pro anni temporum ratione tranſmutatione facta. At ubi aquæ craſſiſſimæ & ignis tenuiſſimi in corpore temperatio facta fuerit, talia contingunt, ex quibus frigidam & humidam naturam dignoſcere convenit. Et hæc corpora hieme quam æſtate, & vere quam autumno, morboſiora ſunt. Inter hos, quod ad ætates adtinet, pueri maxime ſani ſunt, deinde adoleſcentes; morbis vero maxime obnoxii ſenes, & iis proximi, eæque naturæ cito ſeneſcunt. His in victus ratione conferunt, quæcunque celefaciunt & ſiccant, tum in laboribus, tum in cibis; & ad exteriores corporis partes labores adhibere magis , quam ad interiores convenit. Si vero quod in igne eſt humidiſſimum, & in aqua denſiſſimum , contemperationem in corpore acceperit, ex his humidam & calidam naturam dignoſcere licet. Hi quidem vere maxime morbis tentantur; autumno vero minime: quandoquidem vere humiditatis exceſſus eſt, autumno vero ſiccitatis commoderatio. Ex ætatibus maxime morbis obnoxiæ, quæ juniores ſunt. Corpora vero celeriter creſcunt, iique deſtillationibus obnoxii redduntur. Pro diæta autem conferunt, quæ ſiccant & refrigerant, tum cibi, tum potus, tum labores. His quoque partes corporis inter-

nas laboribus exercere maxime conducit. At ſi quod in igne eſt validiſſimum, & in aqua tenuiſſimum, contemperationem adeptum fuerit, ſicca & calida ea eſt natura, iique in ignis acceſſionibus morbo corripiuntur; in aquæ vero acceſſionibus ſanitate fruuntur. Ætate vigente ad bonam carnis habitudinem, morboſiſſimi ſunt; ſenes vero & utrisque proximi, admodum ſani. Victus rationes, quæ refrigerent & humectent, & labores minime calefacientes & colliquantes, plurimam refrigerationem afferent. Ejusmodi naturæ longiſſimæ ſunt vitæ, & maxima ſanitate fruuntur. Si vero ignis rariſſimi & aquæ ſicciſſimæ contemperationem acceperit, ſicca & frigida ejusmodi eſt natura; autumno quidem morbis obnoxia, vere autem & proximis temporibus, ſana. Similiter ætates ad annos quadraginta morboſæ; pueri vero ſaniſſimi, & quum ad utrasque ætates accedunt. Diætæ ſint, quæ calidæ humectant, & labores, qui ſenſim adhibiti leniter calefaciunt, neque multum ex his, quæ adſunt, tollunt. De naturæ igitur cognitione, ea ſic a prima conſtitutione dignoſcenda eſt. Ætates autem ipſæ ad ſe ipſas, hoc ſe habent modo. Puer quidem ex humidis & calidis temperatus eſt, quandoquidem ex his conſtat, & in his incrementum accepit. Quæ igitur ortui ſunt proxima, humidiſſima & calidiſſima, & quamplurimum augentur, quæque eodem modo ſe habent. At adoleſcens calidus quidem, quoniam ignis acceſſio aquam ſuperat; ſiccus vero, quia puerile humidum jam conſumptum eſt, partim quidem in corporis incrementum, partim vero in ignis motionem, partim etiam a laboribus. Vir, quum corpus conſtiterit, ſiccus, & frigidus, quoniam calidi quidem acceſſio non amplius ſuperat, ſed deſtitit ab

incremento corpus quieſcens, & perfrigeratur. Verum ex juvenili ætate ſiccitas adeſt, neque ab accedente ætate, neque aquæ acceſſione humiditatem habet; ideoque a ſiccis & frigidis ſuperatur. Senes autem frigidi & humidi; quoniam ignis quidem deceſſio, aquæ autem acceſſio adeſt, & ſiccitatis quidem ſublatio; humidorum vero conſtitutio. At vero inter omnes, mares quidem calidiores ſunt & ſicciores; feminæ vero humidiores & frigidiores, eam ob cauſam, quod utrique per exordia in talibus nati ſunt, & ex talibus creverunt. Quin etiam in lucem producti (mares,) laborioſiore victus genere utuntur, quo incaleſcunt ac reſiccantur; feminæ vero humido magis ac otioſo, & ſingulis menſibus calidi purgationem ex corpore habent.

CAPUT XIII.

Ortus & incrementi humani diverſitatem ſecundum animæ vim γνωςικην, *tum intelligentem, tum ſentientem ediſſerit.*

At de ea quæ dicitur animæ prudentia vel imprudentia, ſic ſe res habet. Quod in igne eſt humidiſſimum, & in aqua ſicciſſimum, in corpore temperamentum ſortita, prudentiſſima efficiuntur; quoniam ignis quidem ab aqua humiditatem, aqua vero ab igne ſiccitatem habet. Utrumque autem hoc modo ſibi maxime ſatis eſſe videtur. Neque ignis alimenti indigentior longe proficiſcitur, neque aqua motionis inops admodum levis redditur. Utrumque igitur tum hoc modo ſibi ſatis eſt, tum inter ſe temperata. Quod enim vicinis minime indiget, id maxime

præſentibus obtemperat, ignis, qui minime, neque neceſſitate movetur, & aqua, quæ maxime, non per vim. Ex his autem animus contemperatus, prudentiſſimus eſt, & memoria maxime valet. Quod ſi aliquo ſuperinducto uſus fuerit, & horum quodcunque increverit, aut contabuerit, imprudentiſſimus evadit; quare quum ſic ſe habent, ipſa ſibi maxime ſatis eſſe videntur.

Quod ſi ignis & aquæ puriſſimæ contemperationem acceperit, & ignis aqua paulo inferior fuerit, ii quidem etiam prudentes ſunt, plus tamen illis quam in priore (temperatione) deeſt, quoniam ignis ab aqua ſuperatur, tardamque motionem efficiens, ſegnius in ſenſus illabitur. Ejusmodi autem fere ſtabiles ſunt animi, quamcunque ad rem ſe applicuerint. Quod ſi recta adhibeatur victus ratio, prudentiores & acutiores præter naturam evadent. His autem conducit, ut victus ratione, quæ ad ignem magis accedat, utantur, & neque cibis, neque potionibus expleantur. Curſibus itaque celeribus utendum, quo & corpus humore vacuetur, & humor celerius ſiſtatur. Lucta autem, frictionibus, & ſimilibus exercitationibus uti non convenit, ne ampliores redditi meatus expleantur. Ab his enim animæ motum gravari neceſſe eſt. De ambulationibus etiam tum a cœna, tum matutinis, itemque poſt curſus, utendum eſt. A cœna quidem, quo ſiccius alimentum ab iis, quæ ingeruntur, anima accipiat. Mane vero, ut viæ humore vacuentur, & animæ meatus minime obſtruantur. Ab exercitiis autem, ne quod a curſu excretum eſt, in corpore remaneat, & animæ commixtum, vias obſtruat, & alimentum conturbet. Confert etiam, ut vomitionibus utantur, quo corpus repurgetur, ſi quid remiſſius labores effecerint. A vomitione autem ſenſim adji-

ciendo, cibus offerendus, per quatuor, ut minimum, dies. Ungi vero, quam lavari, magis convenit. Rebus autem venereis in aquæ acceſſionibus frequentiore utendum; minus vero in ignis incurſionibus.

At ſi in aliquo inferiorem quam aqua potentiam ignis ſortitus ſit, tardiorem eum eſſe neceſſe eſt, ac tales ſtolidi appellantur. Nimirum enim quum tardus ſit circuitus, paulatim ſenſus allabuntur, & qui acuti ſunt, ſenſim etiam commiſcentur, propter circuitus tarditatem. Acuti enim ſunt animi ſenſus, qui viſione & auditione percipiuntur; qui vero tactu, tardiores & facilius ſentiuntur. Has igitur non minus ii ſentiunt, quam quæ ſunt frigida & calida, & ejus generis. Quæ vero viſione & auditione percipienda ſunt, quæ non ante ſciunt, percipere nequeunt. Niſi enim ab igne illabente commota anima fuerit, id qualecunque ſit, non percipiet. Id igitur hujusmodi animis ob craſſitiem non contingit. Quod ſi recta victus ratione utatur, is etiam melior evadere queat. Eadem igitur, quæ priori victus ratio confert; verum cibis tum ſiccioribus, tum paucioribus, laboribus autem pluribus & vehementioribus utendum. Confert etiam ut fomentis, & poſt ea vomitionibus utatur, & poſt vomitus ex longo intervallo cibos exhibeat, ſi minor vomitus contigerit; quæ ſi fecerit, magis valebit & prudentior evadet.

Quod ſi magis a præſenti aqua ignis ſuperetur, hos jam alii dementes, alii attonitos appellant. Eorum autem inſania tardior exiſtit. Hi plorant, quum a nemine vexentur, aut verberentur; minime metuenda metuunt, moleſtia afficiuntur, ubi minime convenit; & ſentiunt, quæ prudentes non deceant. Iis itaque fomenta conducunt, & a fomentis purgationes ex veratro, & victus ratio

adhibenda, quam antea dixi; indigetque talis (homo) adtenuatione ſpiritus, ac ſiccitate.

At ſi aqua inferiorem quam ignis facultatem adepta ſit, quum ſinceram contemperationem habeant, in ſanis corporibus prudens eſt ejusmodi anima, & quæ ingruunt, percipit, neque frequenter ad alia ſe transfert. Talis igitur natura boni eſt animi; melior tamen efficietur, ſi recta victus ratione utatur; ut deterior, ſi prava. Huic vero victus ratio conducit, quæ ad aquam magis ſpectet, & neque in cibis, neque in potionibus, neque laboribus modum excedat. Curſibus flexis & circenſibus, luctis, & reliquis exercitationibus utatur, dum in nullo modum ſuperet. Si enim corpus bene valuerit, nullaque re alia perturbetur, hæc animæ contemperatio prudens eſt.

Quod ſi adhuc magis aquæ vis ab igne ſuperetur, eo acutiorem quidem animam habere neceſſe eſt, quo citius movetur, & ad ſenſus celerius incurrere; verum priore minus ſtabilem, propterea quod moventur ea, quæ adveniunt, & ad plura alia propter celeritatem feruntur. Huic conducit ea victus ratione uti, quæ magis ad aquam ſpectet, quam priori, & maza potius quam pane, piſcibus quam carnibus, potione etiam dilutiore, & venere rarius uti, & laboribus, qui ſecundum naturam maxime obeuntur, & quam plurimis; violentis vero, ſi uti cogatur, paucioribus. Vomitionibus etiam poſt ipſas repletiones, quo corpus quidem evacuetur, quam minime vero incaleſcat. His etiam ad prudentiam confert, ut minime carnoſi evadant. Ad bonum enim carnis habitum neceſſe eſt ſanguinem calidum fieri. Quod quum acciderit, ejusmodi animus, aqua ſuperata, adtracto igne in inſaniam incidit. His vero confert, ut negotia cibo ſumpto potius quam jejuni obeant.

Commodo enim alimento admixto, ſtabilior longe animus evadit, quam alimenti indigens.

Quod ſi adhuc magis aqua ab igne ſuperetur, ejusmodi animus valde acutus eſt, eosque ſomniis agitari neceſſe eſt. Hos autem ſubfurioſos vocant. Hoc enim inſaniæ proximum eſt. Etenim a brevi & incommoda inflammatione inſaniunt, & in vini potionibus, & carnis bona habitudine, & a carnium eſu. Sed & hunc ab his quidem omnibus abſtinere oportet, & omni alia repletione, & exercitationibus, quæ per vim obeuntur. In victus autem ratione, maza non ſubacta utendum, & oleribus coctis, præterquam purgantibus, & piſciculis ex muria. Quin etiam aquam bibere optimum, ſi fieri poſſit; ſin minus, quod ad hanc proxime accedit, vinum molle & album. Deambulationibus quoque matutinis multis utatur; a cœna vero ſolum exſurgat, ne cibi quidem a deambulationibus poſt cœnam reſiccentur, corpus autem a matutinis evacuetur. Aqua autem tepida circumadfuſa potius perfundatur, quam ungatur. Confert etiam æſtate interdiu ſomno uti breviore, quam multo, ne corpus ab anni tempore exſiccetur. Commodum etiam eſt vere fotibus antea præparatos potionibus ex veratro purgare; deinde ſenſim ad victus rationem adducere, neque hunc jejunum negotia obire oportet. Et hac ſane cura ejusmodi animus prudentiſſimus evaſerit. Prudentis igitur & imprudentis animi, hæc contemperatio cauſa eſt, velut a me ſcriptum eſt; victus tamen ratione melior & deterior fieri poteſt. Ignis autem incurſibus ſuperantibus, forte aquæ aliquid addi non poteſt, ut neque, ſi aqua in temperamento prævalet, ignis augeri. Ex his vero prudentiores, & imprudentiores animi efficiuntur.

CAPUT XIV.

Ortus & incrementi humani diverſitates quantum ad animi appetentem facultatem enarrat.

At vero iſtorum nulla amplius contemperatio, cujusmodi eſt iracundus, ſegnis; doloſus, ſimplex; infenſus, benevolus. Horum omnium, meatuum natura, per quos anima meat, cauſa eſt. Per qualia enim vaſa ſecedit, & ad qualia allabitur, & qualibus commiſcetur, talia (homines) ſapiunt. Ideoque hac victus ratione immutari non poſſunt; naturam enim occultam transformare non licet. Similiter vero & vocis, qualiscunque tandem fuerit, ſpiritus meatus cauſa ſunt. Per quales enim aer movetur, & ad qualescunque adlabitur, talem eſſe vocem neceſſe eſt. Et hanc quidem deteriorem & meliorem facere poſſunt: quod leviores & aſperiores ſpiritus meatus reddi queant; illud vero victus ratione permutari non poſſit.

HIPPOCRATIS

DE

VICTUS RATIONE SANORUM

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Non indignus eſt hippocratico nomine boni ordinis liber, quo eæ res, quas ſcholæ dixerunt

non naturales, ſuis cum viribus recenſentur, quas in ſano corpore exercent: eas vires auctor ex qualitatibus ſimplicibus derivat, dulci, acri, aquoſo; pingui; exque viribus ab iis profluentibus, ut adtenuantibus, calefacientibus, refrigerantibus, purgantibus, ſiccantibus, adſtringentibus, humectantibus. Initium facit ab aeribus aquis & locis, neque diſſimilia docet eorum, quæ HIPP. *in proprio libro docuerat. Fuſius agit de cibis in Græcia uſu receptis, pane vario & cerealibus; deinde carnibus, inter quas etiam caninam reperies, & equinam: inde de avibus edulibus paucis, & de numeroſis piſcibus, quibus Græci mire indulgebant. Hinc potulenta, tunc olera, legumina, herbæ, poma, de quibus ea ſcribit, quæ fere tota poſteritas recepit. Porro de culinariis præparationibus, & earum efficacia. Deſinit in Gymnaſticis, lucta, curſu, balneis. Finis eſt in modo quo delaſſati & ab inſolitis nimiisque laboribus fatigati, per victus rationem reſtituuntur. Vomitum laudat. Ex igne & aqua omnia conſtitui docet, ut prior.*

ARGUMENTUM LIBRI SECUNDI.

Enarrationem principiorum & differentiarum humani corporis (quæ penitus Phyſica eſt) ſequitur diætæ tractatio, qua corpus humanum vel conſervatur in eodem ſtatu, vel ſecundum qualitatem & quantitatem mutatur. Agit itaque de ventorum ac regio-

regionum ſingularum naturis, ac ſitu; de alimentorum facultatibus ac differentiis, ex animalibus ac plantis petitis; de balneis, & externis rebus; ac de variis exercitiis.

CAPUT I.

De locorum ſitu ac temperie.

AT ſingularum regionum ſitum & naturam ſic dignoſcere oportet. In univerſum quidem res ita ſe habet. Quæ ad meridiem ſita, præ ea quæ ad ſeptentriones ſpectat, calidior eſt & ſiccior, quod ad Solem proxime accedat. In his autem regionibus, hominum nationes & quæ e terra producuntur, ſicciora, calidiora, & validiora eſſe neceſſe eſt, quam quæ in contrariis, velut Libyca natio (ſi) cum Pontica (conferatur,) & quæ utrisque vicina ſunt. Per ſe autem ipſæ regiones hoc modo ſe habent. Alta loca, & arida, & ad meridiem ſita, campeſtribus æqualiter ſitis ſunt ſicciora, quod pauciores humiditates contineant. Illa ſiquidem aquam pluviam non retinent; hæc contra. Lacuſtria & paluſtria humectant & calefaciunt. Calefaciunt quidem, quoniam cava ſunt, & circumdantur, & (ventis) minime perflantur; humectant vero, quod quæ e terra producuntur, quibus homines nutriuntur, humidiora ſint, & ſpiritus, quem inſpiramus, propter aquam motus expertem, craſſior ſit. Cava vero & minime aquoſa, ſiccant & calefaciunt. Calefaciunt quidem, quod cava ſint & circumdentur: ſiccant vero, cum propter alimenti ſiccitatem, tum quod ſpiritus, quem inſpiramus, quum ſiccus ſit, humorem ad

ſui nutritionem e corporibus trahat; quum non habeat humidius quidquam, in quod incidens nutriatur. At quum regionibus montes ad auſtrum adjacent, in his auſtri æſtuoſi, & morboſi afflant. Quum vero ab aquilone montes adjacent, in his aquilones perturbant ac morbos efficiunt. Ubi autem ab aquilone cava loca urbibus adjacent, ab æſtivis ventis calidus & morboſus hic locus eſt: propterea quod neque perflans boreas puram ſpiritus invectionem exhibet, neque ab æſtivis ventis perfrigeratur. Quæ autem inſulæ continenti ſunt vicinæ, eæ rigidiores habent hiemes; marinæ vero hiemem tepidiorem; propterea quod nives & glacies in continenti ſtationem habent, & ventos frigidos ad vicinas inſulas mittunt. In marinis vero, per hiemem ſtationem non habent.

CAPUT II.

De aëre, & de ventorum natura ac facultatibus diverſis.

At vero de ventis, quam quisque naturam aut facultatem habeat, hoc modo dignoſcendum. Omnes quidem venti, tum animalium corpora, tum ea, quæ e terra producuntur, ſuapte natura ideo humectant & refrigerant, quod ventos omnes a nive, a glacie, a vehementi gelu, a fluminibus & ſtagnis, & terra humecta ac perfrigerata ſpirare neceſſe ſit; & validiores quidem ventos a majoribus & validioribus; debiliores vero a minoribus & debilioribus. Quemadmodum enim animantibus ſpiritus ineſt, ita in cæteris omnibus, nonnullis quidem minor ſpi-

ritus, quibusdam vero (major) pro eorum magnitudine. Naturam igitur habent quidem refrigerandi & humectandi venti omnes. Verum propter ſitum regionum & locorum, per quæ ad regiones quasque accedunt, diverſi inter ſe ſunt; frigidiores, calidiores; humidiores; ſicciores; morboſiores; ſalubriores.

Singulorum autem cauſa ad hunc modum cognoſcenda eſt. Boreas quidem frigidus & humidus ſpirat, quia ab ejusmodi locis erumpit, & ad loca ejusmodi permeat, ad quæ ſol non accedit; neque aërem reſiccans humorem ebibit: ideoque ad terram habitabilem, ſuam ipſius facultatem retinens accedit, quum regionis ſitu non corrumpitur; & his quidem; qui proxime habitant, frigidiſſimus eſt; remotiſſimis vero minime. At auſter a locis, natura aquiloni ſimilibus ſpirat. Quum enim ab auſtrali axe ſpiret, & a nive multa; glacieque ac gelu valido irruat, his quidem, qui illic prope habitant, talis ſpiret; qualis nobis boreas; neceſſe eſt. Neque tamen toti regioni ſimilis accedit. Nam, quum per ſolis acceſſus in meridiem ſpiret; exhauſta a ſole ejus humiditate, reſiccatus rareſcit; ideoque calidum & ſiccum ad nos ipſum pervenire neceſſe eſt. Proindeque vicinis regionibus eandem potentiam calidam & ſiccam ex neceſſitate impertit. Quod & ipſum ſane in Lybia facit; quum, quæ e terra naſcuntur, arefaciat, & homines latenter exſiccet. Nam, quum neque e mari, neque e fluvio humorem accipere queat, ex animantibus & plantis humidum exſugit. At ubi pelagus tranſierit, quum calidus & rarus ſit, multa humiditate regionem, ad quam illabitur, implet; atque adeo Auſtrum calidum & humidum eſſe neceſſe eſt, ubi regionum ſitus non (aliud) ferant. Ad eundem vero modum reli-

quorum etiam ventorum facultates ſe habent. Ad ſingulas autem regiones ſic venti comparati ſunt. Qui quidem venti ex mari in regiones irruunt, ii quodammodo ſicciores ſunt. Qui vero e nive, aut glacie, aut ſtagnis, aut fluminibus, ii omnes tum ſata, tum animantia humectant & refrigerant, & corporibus ſanitatem præſtant, quotquot frigore modum non excedunt. Hi enim, quod magnas in corporibus caloris & frigoris mutationes faciunt, lædunt. Quod ſane iis contingit, qui loca paluſtria & calida, juxta magna flumina, incolunt. At reliqui venti, qui ex prædictis ſpirant, utiles ſunt, tum quod aërem purum & ſincerum præbeant, tum etiam animæ calori humiditatem ſuggerant. Qui autem venti ſecundum terram flant, eos, quum a ſole & terra reſiccentur, ſicciores eſſe neceſſe eſt. Nam, quum non habeant venti, unde alimentum trahant, a viventibus humorem exſugunt, ſataque & animantia omnia lædunt. Et qui quidem relictis montibus ad urbes perveniunt, non ſolum ſiccant; verum etiam ſpiritum, quem adtrahimus, turbant, & hominum corpora morbis obnoxia reddunt. Horum igitur cujusque natura & facultas ad hunc modum cognoſcenda eſt. Quanam autem ratione ad ſingula ſe præparare oporteat, procedente oratione demonſtrabo.

CAPUT III.

De alimentis in univerſum, mox de cerealibus in ſpecie; ac de panum differentiis ac facultatibus.

AT vero ciborum & potuum ſingulorum facultatem tum naturalem, tum arte para-

tam, ita cognoſcere oportet. Qui igitur in univerſum, aut de dulcium, aut amarorum, aut pinguium, aut ſalſorum, ſive alius cujuspiam rei ejusmodi facultate dicere conati ſunt, ii non recte judicant. Neque enim eandem facultatem habent, nec dulcia inter ſe, neque amara, neque aliorum ejusmodi quidquam. Horum enim multa & alvum dejiciunt, & ſiſtunt, & ſiccant, & humectant. Eodem modo in reliquis omnibus. Sunt & quæ adſtringunt, & per alvum ſecedunt, & urinas movent. Sunt, quæ horum neutrum faciant. Ad hunc autem modum & ex calefacientibus ac reliquis omnibus, alia aliam habent facultatem. Et quidem omnia qualia ſint, declarari non poſſunt; quam tamen ſingularia quædam facultatem habeant, docebo. Hordeum natura quidem frigidum & humidum & exſiccat. Ineſt & quiddam, quod purget, ex palearum ſucco. Indicium autem eſt, quod ſi hordeum integrum quidem coquere velis, vehementer purgat is ſuccus; ſi vero decorticatum (coxeris) refrigerabit magis, alvumque ſiſtet. Quum autem toſtum fuerit, humor qui purgat, igne adimitur; frigiditas autem & ſiccitas relinquitur. Quod ſi refrigerare & ſiccare oporteat, in ipſum polenta perficiet.

Maza cujusvis generis ſic utimur, eamque habet maza facultatem. Farinæ confuſaneæ minus quidem nutriunt; magis autem per alvum ſecedunt. Puræ vero plus nutriunt: minus autem per alvum ſecedunt. Maza pridem ſubacta, conſperſa, ſine intritione, levem facit, & facile ſecedit, & refrigerat. Refrigerat quidem, quia frigida aqua frigefacta eſt; ſecedit vero, quia cito concoquitur; levem vero facit, quia multum alimenti cum flatu foras exit. Quum enim alimenti tranſitus anguſtiores ſint, aliud quod ſuperadditur,

non recipiunt; & pars quidem cum ſpiritu adtenuata foras excernitur: pars vero, quæ intus manet, flatum inducit; partimque etiam ſuperne eructatur, partim per inferiora ſecedit. Multum itaque alimentum e corpore exſpirat. Quod ſi mazam ſtatim, ut ſubacta eſt, exhibere velis, ea ſiccandi vim habet, quod nimirum polenta quum ſicca ſit, atque ita aqua irrigata in ventrem calida incidat, humorem ex ipſo trahit. Calidum ſiquidem frigidum, & frigidum calidum trahere ſolet. Ventriculi autem humore conſumpto, reſiccari neceſſe eſt. Aqua vero, quæ ſimul mazam ſubiit, inducta, refrigerat. Quæ igitur aut in alvi profluvii, aut alius ejuſmodi caliditatis profuſione, ſiccare aut refrigerare oportet, hæc maza efficiet. At vero ſicca intrita, exſiccat quidem, non æque tamen, propterea quod vehementer condenſata eſt; alimentum vero plurimum corpori impertit, quum nimirum ſenſim ipſius eliquatæ alimentum viæ excipiant. Per alvum igitur tarde ſecedit; flatum tamen minime excitat, neque ructus adfert. Quæ autem jam pridem ſubacta & intrita eſt, nutrit quidem minus; ſed alvum movet & flatum magis inducit.

Cyceon autem cum farina ſolum in aqua refrigerat & nutrit; cum vino autem calefacit, ac nutrit & ſiſtit; cum melle, minus quidem calefacit & nutrit; magis vero alvum ſubducit, ſi mel purum fuerit; alioqui alvum non ciet, ſed ſiſtit. Cum lacte autem, omnes (cyceones) quidem nutriunt; verumtamen ovillum lac alvum ſiſtit; caprinum vero magis alvum ſubducit: bubulum minus: equinum & aſininum alvum magis movent. Triticum hordeo quidem eſt valentius, & magis nutrit, minus autem alvum ſubducit, tum ipſum, tum ſuccus. Panis autem ex tota farina factus,

ſiccat & alvum ſubducit; purus vero plus quidem nutrit, minus vero alvum dejicit. Ex ipſis autem panibus, fermentatus quidem levis eſt, & per alvum ſecedit. Ac levis quidem eſt, quoniam fermenti acore humiditas eſt conſumpta, quæ ſane alimentum eſt; ſecedit autem, quia cito coquitur. At non fermentatus, minus quidem alvum dejicit, plus vero nutrit. Ex ſucco autem ſubactus, leviſſimus eſt, etenim abunde nutrit, & per alvum ſecedit. Nutrit quidem, quia purus; levis vero eſt, quod cum leviſſimo ſubactus ſit, & ab eodem fermentatus ac toſtus. Per alvum autem ſecedit, quod dulci & alvum ſubducenti tritici parti commixtus ſit. Ex panibus autem maximi plurimum habent alimenti; quod humidum ab igne minime exuratur. Et furnacei panes magis nutriunt, quam focarii & veruarii, quod minus ab igne exurantur. Teſtacei vero & ſubcinericii, ſicciſſimi: hi quidem propter cinerem; illi vero propter teſtam, humido exſucto. Similaginei autem horum omnium validiſſimi ſunt; multoque magis qui ex alica parantur, admodum nutriunt; verum non æque ſubducunt. Farina pura ex aqua pota refrigerat: & lotura farinæ aqua ſubactæ, igne cocta. Furfurum ſuccus coctus, levis, alvum ſubducit.

At farinæ ex lacte exhibitæ, propter ſerum magis per alvum ſecedunt, quam quæ ex aqua; præcipueque ſi cum alvum dejicientibus miſceantur. Quæ vero farinæ cum melle & oleo incoquuntur, aut aſſantur, omnes æſtum & ructum excitant: ructum quidem, quod quum multum alimentum exhibeant, per alvum minime ſecedunt; æſtum vero, quod quum pingues & dulces ſint, & inter ſe conveniant, neque ejuſdem cocturæ indigeant, in eodem ſunt.

Similago & alica cocta, validum & multum alimen

tum exhibent; non tamen per alvum ſecedunt. Tragus ſive olyra, tritico levior, & quæ ex ea conficiuntur, his ſimiliter, quæ ex tritico parantur; magis tamen per alvum ſecedunt. Avena in cibo & ſorbitione ſumta, humectat & refrigerat. Polentæ ac farinæ recentes vetuſtis ſicciores ſunt, quod igni & præparationi viciniores ſint. Quæ ubi vetuſtæ ſunt, calor exſpirat, frigiditas vero inducitur. Panes calidi quidem ſiccant, frigidi vero minus; gracilitatem tamen quandam inferunt.

CAPUT IV.

De leguminibus, carne, & ſucco carnis univerſim.

FABÆ alimentum quoddam alvum ſiſtens & flatuoſum exhibent. Flatuoſum quidem, quoniam meatus aliud ſuperveniens alimentum non excipiunt; alvum autem ſiſtens, quoniam totam alimenti fæcem continet. Piſa minus quidem inflant; magis autem alvum dejiciunt. Eruiliæ autem & phaſeoli, his magis alvum dejiciunt, minus vero inflant, & probe nutriunt. Cicer album, alvum & urinam movet, & nutrit. Nutrit quidem, quod carnoſum eſt; dulce per urinam redditur; ſalſuginoſum per alvum demittitur. Milii grana ac paleæ ſiccant, & alvum ſiſtunt: & cum ficubus, vehementibus doloribus (ſuccurrunt). Milium autem coctum nutrit, minime tamen per alvum ſecedit. Lentes æſtuoſæ ſunt & turbant, & neque alvum dejiciunt, neque ſiſtunt. Ervum vero alvum ſiſtit & validum eſt, incraſſat, explet, & bonum colorem homini conciliat. Lini ſemen nutrit & alvum ſiſtit, &

aliquid habet refrigeratorium. Hormini ſemen conſimilia lini ſemini efficit. Lupini natura validi & calidi; præparatione tamen leviores & frigidiores evadunt, & per alvum ſecedunt. Irio humectat & alvum dejicit. Cucumeris ſemen, urinam magis, quam alvum, movet. Seſamum non lotum per ſeceſſum abit; implet autem & incraſſat: alvo quidem ſecedit propter exterius putamen; carne vero implet & incraſſat: lotum vero, alvum quidem minus dejicit; incraſſat autem, & explet magis: ſiccat vero & urit, quia pingue & oleoſum. Cnicus autem dejicit. Papaver ſiſtit, idque nigrum præſtat magis, quod etiam album facit; potenter autem nutrit. Horum omnium ſuccus magis, quam caro, alvum movet. Hæc igitur in præparatione adhibenda cautio, ut in quibus ſiccare velis, in iis ſucco detracto carne utaris; in quibus vero alvum movere, ſucco plurimo, & carne pauciore, ac bene ſucculenta.

CAPUT V.

De iis, quæ ab animalibus ſumuntur, alimentis; quadrupedibus, volucribus, piſcibus.

De animalibus autem, quæ in cibum veniunt, ſic ſentiendum. Carnes bubulæ validæ ſunt, & tardæ ac difficiles concoctu ventribus; quoniam craſſi & multi ſanguinis eſt hoc animal. Et carnes in corpus ſumptæ graves ſunt, eædemque carnes & ſanguis, & lac. Quorum autem animalium lac tenue eſt, & ſanguis ſimiliter, eorum quoque carnes conſimiles ſunt. Caprinæ carnes his leviores ſunt, & magis alvum dejiciunt. Suillæ his quidem magis corpus roborant, & abunde

alvum dejiciunt: propterea quod tenues, pau-cumque ſanguinem continentes venas (hoc animal) habet; multam vero carnem. Agninæ ovillis ſunt leviores, & hœdinæ caprinis: quia exſangues magis & humidæ. Sicca enim & valida natura animantia, quum quidem tenera ſunt, per alvum ſecedunt; quum vero adoleverint, non item, & vitulinæ carnes ad bubulas eodem ſe habent modo. At porcellorum carnes ſuillis ſunt graviores; hoc enim animal natura carnoſum & exſangue, quamdiu tenellum eſt, ſuperabundantem habet humiditatem. Quum ergo ſuperinjectum alimentum meatus non ſuſcipiunt, id quod remanet, ventrem calefacit & turbat. Carnes aſininæ per alvum ſecedunt; ſed pullorum præſertim, & equinæ ſunt leviores. Caninæ calefaciunt & ſiccant, roburque afferunt, non tamen per alvum ſecedunt; catulinæ vero humectant, & alvum dejiciunt. Sylveſtris ſuis (caro) ſiccat, & robur affert, alvumque dejicit: cervi vero ſiccat, & minus alvum dejicit, magis autem urinam provocat. Leporina ſicca eſt & alvum moratur: urinam tamen quodammodo ciet. Vulpina humidior eſt. Erinaceorum terreſtrium carnes urinam provocant; verum humectant.

At vero de volucribus ſic ſe res habet. Omnes fere volucres quadrupedibus ſicciores ſunt: nam quæ veſicam non habent, neque urinam reddunt, neque ſalivam fundunt, prorſus ſicca ſunt; ventris enim caliditate corporis humiditas in caloris alimentum abſumitur; atque idcirco neque urinam reddunt, neque ſalivam fundunt. Cui autem ejusmodi humiditates deſunt, id ipſum neceſſario ſiccat. Palumbis igitur caro ſicciſſima apparet: deinde columbæ, tertio perdicis, & galli, ac turturis: anſeris vero, maxime humida. Quæ autem ſemina

legunt, prioribus ſicciores ſunt. Anatis vero carnes, & reliquarum (avium,) quæ in paludibus aut aquis degunt, omnes humidæ ſunt.

Ex piſcibus ſicciſſimi quidem hi: ſcorpius, draco, callionymus, cuculus, glaucus, perca, thriſſa: leves vero, ſaxatiles fere omnes; velut turdus, phycis, elephitis, gobio. Tales autem & prædicti, erronibus leviores ſunt: quum enim quieſcant, raram & levem carnem habent. Errones autem & undas verberantes, laboribus adtriti, ſolidiorem carnem obtinent. Torpedines, & ſquatinæ, ac rhombi, & ejuscemodi, leviores ſunt. Qui vero piſces in cœnoſis & paludoſis locis cibum capiunt, velut capitones, mugiles, anguillæ, & reliqui id genus, graviores ſunt, quod ab aqua & luto, & his quæ illic producuntur, nutriuntur: ex quibus etiam ſpiritus hauſtus hominem lædit & aggravat. Fluviatiles autem & paluſtres, his etiam graviores ſunt. Polypi vero & ſepiæ, atque ejusmodi, neque leves ſunt, ut videntur, neque alvum dejiciunt, idcircoque, ſi edantur, oculos gravant: illorum tamen jus alvum movet. Conchylia vero, velut pinnæ, purpuræ, patellæ, buccinæ, oſtrea, ea quidem ſicca ſunt: horum autem ſucci alvum movent. Mytuli, pectines & tellinæ his magis per alvum ſecedunt. Urticæ, & qui cartilaginei ſunt generis, maxime humectant & alvum dejiciunt. Erinaceorum ova, & locuſtarum humor, muſculi, & urſi, & cancri, præſertim fluviatiles, ſed & marini, alvum movent, & urinam provocant. Sale conditi ſiccant & adtenuant: plerique etiam leniter alvum dejiciunt: ex ſalitis ſicciſſimi quidem marini, deinde fluviatiles, paluſtres maxime humidi. Inter ſale conditos piſces, qui percæ nominantur, valde ſiccant.

Ex cicuratis autem animalibus, quæ in ſyl-

vis & agris paſcuntur, iis quæ domi nutriuntur, ſunt ſicciora; quia laborando a ſole & rigore reſiccantur, & ſicciore ſpiritu utuntur. Fera etiam animalia manſuetis ſicciora, & crudivora, quæque ſylvarum materia paſcuntur, & quæ parum edunt, multum edentibus ſicciora; quæque fœno paſcuntur, iis quæ herbis; item quæ fructus edunt, iis quæ minime fructibus victitant; quæque parum bibunt, iis quæ multum; & quæ multo ſanguine abundant exſanguibus & paucum ſanguinem habentibus; & quæ in ætatis vigore ſunt conſtituta, potius quam admodum vetuſta: & juvencula, & maſcula quam feminea, & caſtrata, quam non caſtrata; nigra quam alba, & hirſuta quam nuda. His vero contraria, humidiora.

Animalium autem ipſorum carnes validiſſimæ quidem, quæ maxime laborant, & ſanguine abundant, & ſupra quas recumbunt. Leviſſimæ vero carnes ſunt, quæ minime laborant, & in umbra latent, & in intimis animalis partibus ſitæ ſunt. Exſanguium autem validiſſimæ, cerebrum & medulla. Leviſſimæ quæ ſunt in ventre inferiore, muſculi, pectines, pedes. Piſcium ſicciſſimæ ſunt partes ſuperiores, leviſſimæ ventris inferioris, & capita humidiora, propter pinguedinem & cerebrum. Volucrum ova validum quid, & nutriens, & inflans habent: validum quidem, quoniam animalis generationem continent: nutriens vero, quod hoc in pullo lactis rationem habeat: inflans autem, quia ex parva mole in multam diffunditur. Caſeus validus eſt, æſtuoſus, & alit, alvumque ſiſtit: validus quidem, quod generationi ſit proximus: alit vero, quia lactis carnoſa pars in eo remanet: æſtuoſus eſt, quia pinguis; alvum autem ſiſtit, quia ex ſucco & coagulo conſtat.

CAPUT VI.

De poculentis, aqua, vino, aceto, ſapa, lora.

AQUA frigida & humida eſt; vinum calidum & ſiccum; habet & purgans quiddam a materia. Vina nigra & auſtera, ſicciora ſunt, neque per alvum ſecedunt, neque urinam aut ſputum movent; ſed corporis humiditatem abſumendo ſiccant & caliditatem inferunt. Mollia vero nigra, humidiora ſunt, & inflant, alvumque magis dejiciunt. Dulcia nigra, humidiora ſunt; calefaciunt autem, & inflant, quum humiditatem inducant. Alba vero & auſtera calefaciunt, magis autem urinam movent quam alvum dejiciant. Vina recentia alvum magis movent, quod muſto ſint propiora, & nutriunt; item odora magis quam inodora ejusdem ætatis, quia facilius concoquuntur, & craſſa, quam tenuia. At tenuia dulcia urinam magis & alvum movent, corpusque humectant, & ſanguinem imbecillum reddunt; quum infeſtum corpori ſanguinem in corpore augeant. Muſtum flatum movet, & ſubducit, conturbatque, alvumque dejicit. Flatum quidem movet, quod calefaciat; e corpore autem ſubducit, quia purgat; conturbat autem, quia in ventriculo fervet, & alvo ſecedit. Vina acida refrigerant, extenuant, & humectant. Refrigerant quidem & extenuant, quod humidi e corpore vacuationem moliantur; humectant autem, ob aquam una cum vino ingredientem. Acetum refrigerat, quod corporis humidum colliquando abſumat; magis autem alvum ſiſtit, quam dejiciat, quia minime alit, & acre eſt. Sapa calefacit, humectat, & ſubducit. Calefacit quidem quia

vinoſa: humectat vero, quod nutriat, ſubducit autem quia dulcis. Fæces vinaceæ humectant, ſubducunt, & flatum excitant; quod etiam muſtum idem efficiat. Mel calidum & ſiccum, quum eſt ſincerum, ex aqua vero humectat; & bilioſis alvum dejicit, pituitoſis vero ſiſtit. At vero vinum dulce, pituitoſis magis per alvum ſecedit.

CAPUT VII.

De herbis & oleribus.

De oleribus autem ſic ſe res habet. Allium calidum eſt, & alvum movet, & urinam ciet, oculis minime bonum. Quum enim multam corporis purgationem faciat, viſum hebetat; alvum autem & urinam ciet, propter vim purgantem; coctum crudo imbecillius; flatum autem parit, propter ſpiritus vehementiam. Cepa viſui quidem commoda: corpori vero noxia; quoniam calida & æſtuoſa, & per alvum non ſecedit: nullum enim alimentum corpori, neque utilitatem præbet; calefaciendo autem exſiccat propter ſuccum. Porrum minus quidem calefacit, urinam vero & alvum movet; etenim habet quid purgatorium; humectat autem, & ructum acidum ſedat, ipſumque poſt reliquos cibos comedere præſtat.

Raphanus humectat, pituitam ſua acrimonia diffundendo: folia vero non tantum vim habent; ſed radix infeſta eſt arthritico morbo laborantibus: per ſumma autem fluitat, & ægre concoquitur. Naſturtium calidum eſt, & carnem liquefacit; pituitam albam ſiſtit, proindeque ſtranguriam infert. Sinapi calidum eſt, & alvum de-

jicit; ſed & hoc urinæ difficultatem parit. Quin & eadem eruca facit.

Coriandrum calidum, alvum ſiſtit, & ructum acidum ſedat, ſomnum conciliat, ſi poſtremo loco edatur. Lactuca frigidiſſima eſt priusquam ſuccum habeat; imbecillitatem autem quandam corpori infert. Anethum calidum, & alvum ſiſtit, olfactumque ſternutamentum ſedat. Apium urinam magis quam alvum movet; radices etiam magis, quam ipſum, alvum movent. Ocimum ſiccum eſt, calidum, & alvum ſiſtit. Ruta urinam magis quam alvum movet; quandam etiam condenſandi vim habet, & præpota adverſus venena valet. Aſparagus ſiccus eſt, & alvum ſiſtit. Salvia ſicca eſt, & alvum ſiſtit. Solanum refrigerat, & in ſomnis ſemen effundere non permittit. Portulaca recens refrigerat, & ſale condita calefacit, & purgat. Calamintha calefacit, & urinam movet. Mentha calefacit, & urinam ciet, vomitionemque ſiſtit; ac ſi quis eam ſæpe comedat, ejus genitale ſemen ita colliquefacit, ut effluat, & arrigere prohibet, corpusque imbecillum reddit. Rumex calefaciendo alvum movet. Atriplex humida eſt, belle tamen alvum dejicit. Blitum non calidum, alvum movet. Braſſica calefacit, per alvum ſecedit, & bilioſa educit. Betæ ſuccus quidem alvum dejicit: olus autem ipſum cibo ſumptum ſiſtit; radices vero betæ alvum magis movent. Cucurbita refrigerat, & humectat, alvoque ſecedit. Rapum æſtuoſum eſt; humectat autem & corpus conturbat, non tamen per alvum ſecedit; verum urinæ difficultatem adfert.

Pulegium calefacit & alvum movet. Origanum calefacit, bilioſa tamen ſubducit. Thymbra eadem, quæ origanum, efficit. Thymum calidum, alvum & urinam movet; & pituitoſa educit. Hyſſopum calidum, & pituitoſa ducit.

Ex agreſtibus autem oleribus, quæ os calefaciunt & odorata ſunt, ea calefaciunt, & urinam potius quam alvum movent. Quæ vero humidam habent naturam & frigidam, ac inſipidam, & odorem gravem, per alvum magis ſecedunt quam per urinam. Quæ acerba & auſtera, alvum ſiſtunt. Quæ acria & odorata, urinam provocant. Quæ acria & ſicca ſunt in ore, ea omnia ſiccant: quæ acida, refrigerant. Hi ſucci urinam movent, crethmi, apii, allii cremor, cytiſi, fœniculi, porri, adianti, ſolani, qui & refrigerat, ſcolopendrium, mentha, ſeſeli, caucalides, hypericum, urticæ. Alvum vero movent & purgant, cicer, lens, hordeum, beta, braſſica, mercurialis, ſambucus, cnicus. Hæc omnia alvum potius quam urinam movent.

CAPUT VIII.

De fructibus diverſis.

At vero de fructibus autumnalibus, ſic ſe res habet. Fructus ſeminibus referti alvum magis movent; virides magis quam ſicci. Horum autem facultas explicabitur. Mora calefaciunt, & humectant, per alvumque ſecedunt. Pyra matura calefaciunt, & humectant, & alvum dejiciunt; dura vero ſiſtunt. Pyra ſilveſtria, hiberna, matura alvum movent, eamque purgant; cruda vero ſiſtunt. Mala dulcia ægre concoquuntur; acida autem & matura minus. Cydonia adſtringunt, neque alvum dejiciunt. Malorum autem ſucci vomitiones ſiſtunt & urinam promovent, quod & odor ante vomitionem præſtat. Mala ſilveſtria alvum ſiſtunt; cocta vero comeſta magis

magis alvum dejiciunt: ad reſpirationem, quæ non niſi erecta cervice fit, tum eorum ſucci, tum ipſa quoque epota juvant. Sorba, meſpila, corna, aliique id genus fructus, alvum ſiſtunt, & acerbi ſunt. Mali punici dulcis ſuccus alvum dejicit; verum æſtuoſum quiddam habet. Mala punica vinoſa minus æſtuoſa ſunt: acida vero magis refrigerant. At omnium nuclei tardæ coctionis. Cucumeres crudi, frigidi, ægreque concoquuntur: maturi vero, urinam & alvum dejiciunt; verum flatus excitant. Uvarum racemi, calidi & humidi, alvum dejiciunt; præcipue quidem albi. Dulces igitur potenter calefaciunt, quod multum jam calidi obtineant: immaturi vero minus calefaciunt; potu autem magis purgant. Ficus & uvæ paſſæ æſtuoſæ ſunt, alvum tamen dejiciunt. Ficus viridis humectat, alvum dejicit, & calefacit: humectat quidem, quod ſucco prægnans ſit; calefacit vero, propter lac: ſed alvum dejicit, propter ejuſdem dulcedinem. Primæ ficus vitioſiſſimæ, quia lacte pleniſſimæ; optimæ autem poſtremæ. Ficus aridæ æſtuoſæ, alvum tamen dejiciunt. Amygdalæ æſtuoſæ ſunt, & nutriunt, his de cauſis: æſtuoſæ quidem, quia pingues; nutriunt autem, quia carnoſæ. Nuces rotundæ his ſimiliter ſunt. Latæ vero maturæ, nutriunt & alvum dejiciunt. Purgatæ autem, etiam flatus pariunt; earum vero tunicæ alvum ſiſtunt. Glandes ilignæ, quercinæ & fagineæ, crudæ & toſtæ alvum ſiſtunt; coctæ vero, minus.

CAPUT IX.

De carnibus quibuscunque; de conditura, natalibus, effectis, tempore, & coctura alimentorum.

CARNES pingues æſtuoſæ, ſed alvum dejiciunt. Carnes conditæ ac adſervatæ in vino, ſiccant & nutriunt. Siccant quidem propter vinum; nutriunt vero propter carnem. Aceto autem conditæ, calefaciunt certe, propter acetum tamen minus; ſed abunde nutriunt. At ſale conditæ, minus quidem nutriunt, humido a ſale ſpoliatæ; extenuant tamen & ſiccant, abundeque alvum dejiciunt. Singulorum autem vires ad hunc modum detrahere, & adjicere oportet.

Ex igne & aqua conſtant cuncta, tum animantia tum plantæ, & ex his concreſcunt, ac in hæc reſolvuntur; firmorum ciborum vim ſæpe elixando & exſiccando auferre; & augere rurſus ad hunc modum oportet. Humidorum quidem, torrendo & aſſando, humiditatem detrahere; ſiccorum vero, macerando & irrigando ſiccitatem: ſalſorum autem macerando & coquendo ſalſuginem. Amara& acria dulcibus, acerba vero pinguibus permiſcendo: ac de reliquis omnibus ex prædictis æſtimare oportet.

Quæcunque toſta aut aſſata ſunt, crudis magis alvum ſiſtunt; quod humidum, & ſucculentum, & pingue ab igne detractum ſit. Quum igitur in ventriculum inciderint, humidum ad ſe e ventre trahunt, & venarum oſcula exſiccando & calefaciendo occludunt; proindeque humoris tranſitus coarctant. Quæ vero e locis minime aquoſis, ſiccis & æſtuoſis proveniunt, ea omnia ſicciora & calidiora ſunt, & robur plurimum corpori exhibent; eo quod pari mole & copia graviora ſunt ac denſiora, uberioremque fetum ferunt, quam quæ humidis, riguis, & frigidis locis naſcuntur. Ea autem humidiora, leviora & frigidiora ſunt. Neque igitur ſolum ipſius cibi & potus, atque animantium, ſed & patriæ, ex qua oriuntur, vim noſſe oportet. Quum

ergo ex iiſdem etiam cibis validum alimentum corpori offerre volent, his, quæ ex locis minime aquoſis prodeunt, utendum, tum cibis, tum potionibus, tum animantibus. Quum vero levius atque humidius, his, quæ ex riguis locis naſcuntur, utendum.

Dulcia, acria, ſalſa, amara, auſtera, & carnoſa calefacere ſolent, tum quæ ſicca ſunt, tum quæ humida. Quæ igitur plus ſiccæ partis in ſe habent, ea ſiccant quidem & calefaciunt. Quæ vero plus humidæ partis, hæc omnia calefaciendo humectant, & magis quam ſicca per alvum ſecedunt. Nam quum alimentum amplius corpori præbeant, in ventriculum repugnantiam faciunt, & humectando alvum dejiciunt. Quæ vero calefacientia ſiccant, tum cibi, tum potus, neque ſputum, neque urinam, neque dejectionem cientia, corpus ſiccant has ob cauſas. Incaleſcens corpus humido vacuatur: partimque ab ipſis cibis, partim etiam a calore animæ in alimentum abſumitur; partim vero calefactum & adtenuatum, per cutim foras propellitur. Dulcia vero, pinguia, & oleoſa idcirco implent, quia ex parva mole multum ſe diffundunt: calefacta vero & diffuſa, calore corpus replent, & tranquillum reddunt. Acida autem, acria, auſtera, acerba, & ex toto collata, & ſicca, non implent; ideo quod venarum ora tum aperiunt, tum expurgant: & partim quidem ſiccantia, partim vero mordentia & adſtringentia horrorem inferunt, & carnis humidum in parvam molem contrahunt: atque ita vacuum multum in corpore oritur. Quum igitur paucis implere, vel multis vacuare voles, hiſce utitor.

Recentia omnia plus roboris quam cætera exhibent; propterea quod vivo ſunt propinquiora. At vetuſta autem ac marcida, quod ad putredinem magis accedant, recentibus alvum

magis dejiciunt. Cruda vero alunt, & ructus excitant, quod quæ igne coqui oporteat, ea ventriculus, his quæ ingeruntur, quum debilior ſit, conficere cogatur. At vero opſonia ex intritis præparata, ideo ſunt æſtuoſa & humida, quod pinguia, & ignea, & calida, & inæquales inter ſe vires ſortita, in eodem reſident: quæ vero muria condiuntur, meliora, & minime æſtuoſa.

CAPUT X.

De balneis, unctione, aëre, ſudore, venere, vomitu, ſomno, labore, quiete, & cibatione; de iis denique univerſim, quæ corpus quomodolibet ingrediuntur.

De balneis autem ita ſe res habet. Aqua potabilis humectat & refrigerat; nam corpori humiditatem impertit. Salſum vero balneum calefacit & ſiccat; quum enim natura calidum ſit, humiditatem e corpore trahit. At balnea calida jejunum quidem hominem extenuant, & refrigerant; caliditate enim humidum e corpore tollunt, eoque e carne vacuato, corpus refrigeratur: poſt cibum autem calefaciunt & humectant, quum ea, quæ in corpore ſunt, in majorem molem diffundant. Frigida vero balnea, contra. Vacuo quidem corpori frigidum (balneum) calorem quendam impertit; at poſt cibum humiditatem præſentem tollit, & ſua frigiditate, ſiccum quod adeſt, auget. Balnei abſtinentia, conſumpta humiditate, ſiccat: eodem ſane modo neglecta unctio. At vero unctio calefacit, humectat, & emollit. Sol autem & ignis has ob cauſas ſiccant: quod calida quum ſint & ſicca, e corpore humiditatem trahunt;

umbra vero, & frigus, moderate humectant; plus enim dant, quam accipiunt.

Sudores omnes exeuntes, & ſiccant & adtenuant, humido e corpore evaneſcente. Veneris uſus extenuat, humectat, & calefacit. Calefacit quidem ob laborem, & humiditatis excretionem; adtenuat autem ob vacuationem: humectat vero propter id, quod ex colliquatione a labore in corpore relictum eſt.

Vomitiones (vero) extenuant, propter alimenti evacuationem; neque tamen ſiccant, ſi quis poſtridie recte medeatur: ſed propter repletionem, & carnis ex labore colliquationem humectant. At ſi quis hæc poſtridie in alimentum a calore conſumi ſinat, ſenſimque diætæ adjiciat, ſiccant. Alvum autem coactam vomitio ſolvit, & plus æquo fluidam ſiſtit: illam quidem humectando; hanc vero ſiccando. Quum igitur quis alvum celerrime ſiſtere volet, devoratum cibum priusquam humeſcat, & deorſum detrahatur, evomere eum oportet, & acerbis ac auſteris cibariis potius uti. Ubi autem alvum ſolvere volet, quamplurimo tempore immorari cibis confert, & acribus ac ſalſis, & pinguibus, dulcibusque, tum cibariis, tum potionibus uti.

Somni jejunum quidem extenuant & refrigerant, ſi non longi fuerint, eam, quæ adeſt, humiditatem vacuantes. Si vero longi excalefacientes carnem colliquant, corpusque reſolvunt, & imbecillum reddunt. Poſt cibum autem calefacientes humectant, alimentum in corpus diffundendo. A matutinis deambulationibus ſomnus maxime ſiccat. Vigilia vero poſt cibos noxia, quum cibum colliqueſcere non ſinat: jejunos autem extenuat quidem; at minus lædit.

Ignavia humectat, & corpus imbecillum reddit. Anima enim quieſcens non abducit humorem e

corpore. Labor vero ſiccat, corpusque validum efficit. Semel die ſumptus cibus extenuat & ſiccat, alvumque ſiſtit: quoniam animæ calore ventris & carnis humidum abſumitur. Prandium vero uni cibatui contraria efficit. Aquæ potus calidus extenuat: eodemque modo etiam frigidus. At vero plus æquo frigidus tum ſpiritus, tum cibus, & potus, humidum in corpore cogunt, & concretione ac frigore alvos ſiſtunt; nam animæ humiditatem ſuperant. Contraque etiam caloris exceſſus in tantum cogit, ut diffundi nequeat. Quæ vero corpus calefaciunt, neque alimentum exhibent, carnem humore vacuant, & quum nihil excedant, frigiditatem homini conciliant: humiditate enim, quæ adeſt, evacuata, ſpiritu adventitio repletus, refrigeratur.

CAPUT XI.

De exercitiis, tum in genere, tum in ſpecie.

At vero de laboribus, quam habeant facultatem, ita dignoſcendum. Sunt enim quidam naturales, quidam violenti: naturales igitur ſunt, viſus labor, auditus, vocis, curæ. Ac viſus quidem hæc eſt facultas. Anima in id quod videtur intenta, movetur & incaleſcit; calefacta vero, humido vacuato, exſiccatur. Per auditum autem irrumpente ſono, anima concutitur, & laborat; laborans vero calefit & ſiccatur. Quæcunque in cura hominibus contingunt, ex his anima calefit & ſiccatur; humidoque abſumpto laborat, & carnes adtenuat, hominemque vacuat. Quicunque ſunt vocis labores, velut ſermo, aut lectio, aut cantus, ii omnes animam movent; mota vero ſiccatur & calefit, humidumque cor-

poris abſumit. At deambulationes, etiamſi maxime præ reliquis naturales ſint, habent tamen quid violentum; earum autem hæc eſt facultas. A cœna deambulatio alvum, corpus, & ventrem exſiccat, ipſumque hanc ob cauſam pinguem fieri non ſinit. Quum homo movetur, tum corpus, tum cibi incaleſcunt. Humiditatem igitur caro attrahit, neque circa ventrem congregari ſinit. Impletur igitur corpus, venter vero extenuatur; has autem ob cauſas exſiccatur. Quum movetur corpus & calefit, quod alimenti tenuiſſimum eſt, conſumitur partim ab inſito calore; partim vero una cum ſpiritu foras excernitur: partim etiam per urinam emittitur. Quod vero in cibis eſt ſicciſſimum, remanet; ita ut cum ventre ſimul etiam caro ſiccetur.

Deambulationes matutinæ extenuant, & quæ circa caput ſunt partes, leves & agiles, & promptas efficiunt, alvumque ſolvunt. Extenuant quidem, quia quum agitetur corpus, incaleſcit, & humidum partim quidem a ſpiritu adtenuatur, & purgatur; partim vero emungitur, & exſcreatur; partim etiam ab animæ calore in alimentum abſumitur. Alvum autem ſolvunt, quod quum calida ſit, ſpiritu frigido ex ſuperioribus partibus irruente, frigido calidum cedit. Leves autem circa caput partes haſce ob cauſas efficiunt. Ubi evacuata eſt alvus, calida quum ſit, e reliquo corpore & capite humidum ad ſe adtrahit. Vacuato autem capite, repurgatur viſio, & auditio, & agiles homines redduntur. At deambulationes poſt exercitia, corpora pura reddunt, & emaciant; neque carnis colliquationem, ex labore provenientem, conſiſtere ſinunt; ſed eam repurgant.

Cæterum ex curſibus hæc contingunt. Longi quidem & non flexi, ſenſim adaucti carnem calefacientes concoquere ac diffundere queunt,

& ciborum facultatem in carne concoquunt; tardiora tamen & craſſiora corpora efficiunt, quam qui in orbem fiunt. His autem, qui multum comedunt, commodiores ſunt, & hieme magis quam æſtate. Qui vero in veſte obeuntur curſus, eandem facultatem habent; ſed magis calefaciunt, humidioraque corpora & decoloratiora reddunt: quia purus extrinſecus irruens ſpiritus ea non repurgat; ſed in eodem ſpiritu exercentur. Siccis igitur & multum carnoſis conferunt, quum quis carnem detrahere volet, & ſenioribus propter corporis frigiditatem. Curſus autem reciproci, & indefiniti equeſtres, carnem quidem minus diffundunt: ſed magis extenuant, quia quum externis animæ partibus hi labores obeantur, humidum ex carne revellunt, corpusque adtenuant & exſiccant. Circulares vero curſus, carnem quidem minime pervadunt; ſed extenuant; carnemque & ventrem maxime aperiunt; quod cum citiſſimo ſpiritu utantur, humidum ad ſe promptiſſime attrahunt. Curſus vero dimiſſis manibus derepente quidem ſiccant; neque tamen idonei, neque utiles ſunt. Convulſiones enim inducunt, propterea quod calefactum corpus cutem vehementer tenuat; carnem vero minus cogunt quam curſus circulares, eandemque humore evacuant.

Commotiones, & in ſublime ſaltationes carnem quidem minime excalefaciunt; ſed corpus & animam commovent, & ſpiritu vacuant. Lucta vero & frictio exterioribus corporis partibus laborem magis præbent; carnem autem calefaciunt, firmant, ac augeri faciunt, ob hanc cauſam. Quæ natura ſolida ſunt, dum fricantur, in ſe coeunt; cava vero augeſcunt, & quæcunque venas habent. Calefactæ enim & exſiccatæ carnes alimentum ad ſe per

venas trahunt; deinde increſcunt. Volutatio in pulvere eadem, quæ lucta facit; ſed propter pulverem magis exſiccat, carnemque minus gignit. Lucta, quæ ſummis manibus fit, extenuat, carnesque ſurſum trahit. Cum folle decertatio, & manuum geſticulatio, conſimilia efficiunt. Spiritus retentio meatus per vim cogere, cutem tenuare, & humiditatem ad cutem propellere valet.

Quæ in pulvere & oleo exercitationes obeuntur, hoc differunt: pulvis quidem frigidus; oleum vero eſt calidum. Oleum quidem hieme corpus magis auget; quoniam quid auferre e corpore frigus prohibet. Æſtate vero oleum, calorem vehementer adaugens, carnem colliquat; quum & a tempore, & oleo, & labore incaleſcat. Pulvis autem æſtate incrementum magis juvat. Quum enim corpus refrigeret, ultra modum incaleſcere non ſinit; hieme vero frigus & algorem adfert. Morari autem poſt exercitationes in pulvere per æſtatem modico tempore, refrigerando quidem juvat; diu vero, ſupra modum exſiccat, & corpora dura ac arida reddit. Frictio ex oleo & aqua emollit, neque vehementer incaleſcere ſinit.

CAPUT XII.

De exercitiorum accidentibus, veluti laſſitudinibus.

At de laſſitudinibus, quæ in corporibus naſcuntur, ad hunc ſe res habet modum. Homines quidem inexercitati ab omni labore laſſantur. Nulla enim corporis pars ad ullum aliquem laborem exercitata eſt. Exercitata autem corpora ab inſuetis laboribus laſſantur. Quædam vero etiam a conſuetis exercitiis laſſantur, ſi his

ſupra modum utantur. Et ea quidem ſunt laſſitudinum genera. Earum vero facultas talis eſt. Nam non exercitati, humidam carnem habentes; quum laboraverint, calefacto corpore, multam colliquationem dimittunt. Quidquid igitur exſudaverit, aut cum ſpiritu repurgatum fuerit, non aliam moleſtiam affert, niſi corporis parti præter conſuetudinem vacuatæ: ſed quidquid colliquationis intus remanſerit, non modo parti corporis præter morem vacuatæ moleſtiam exhibet, imo & ei parti, quæ humiditatem ſuſcepit: neque enim corpori commodum eſt, ſed infeſtum. In non carnoſas quidem corporum partes haud æquabiliter coit, ſed in carnoſas, ita ut his quidem, donec exeat, moleſtiam exhibeat. Nempe quum circuitum non habeat & quieſcat, tum ipſum, tum ea, quæ irrumpunt, incaleſcunt. Si igitur copioſum fuerit, quod ſecretum eſt, id quidem, quod ſanum eſt, ſuperat, ita ut totum corpus concaleſcat, & vehementem febrem inferat. Sanguine enim calefacto & adtracto, ea, quæ in corpore inſunt, celerem circuitum faciunt, & tum reliquum corpus a ſpiritu purgatur, tum quod coaluit, incaleſcens adtenuatur, ſimulque ex carne in cutem foras propellitur, idque ſudor calidus vocatur. Hoc autem excreto, tum ſanguis ad naturalem ſtatum reſtituitur, tum febris remittit, & laſſitudo ſedatur, tertio præſertim die.

Hanc autem laſſitudinem hunc in modum curare oportet: fomentis & balneis calidis id, quod concrevit, diſſolvendo, & non violentis deambulationibus, ut expurgentur, ciborumque paucitate & extenuatione carnis vacuationem cogendo, ac oleo leniter, & diu, ne violenter recaleſcat, confricando: unguentis etiam tum ſudorem elicientibus, tum emollientibus inungere, ac emollire confert.

His vero, qui exercentur, ab inſuetis laboribus idcirco laſſitudo contingit; quod ſi corpus laboribus ſe non exercuerit, ea parte qua laborare non conſuevit, carnem humidam eſſe neceſſe eſt, velut inexercitatis ad ſingula genera. Carnem igitur colliquefieri, & ſecerni, ac in ſeſe cogi velut in priore neceſſe eſt. Sic autem curari confert. Exercitationibus quidem adſuetis utendum, ut quod compactum eſt, incaleſcens tenuetur, ac depurgetur, neque reliquum corpus humectetur, neque inexercitatum maneat. Utile eſt autem & hunc balneis calidis, ac frictione ſimiliter ac priorem, uti: fomentis autem nihil opus eſt; labores enim calefaciendo, ad id, quod coactum eſt, tenuandum, & depurgandum ſufficiunt.

A conſuetis autem exercitiis laſſitudo hoc modo contingit; a commoderato quidem labore nulla oritur laſſitudo. Quum vero major, quam par ſit, labor fuerit, carnem ſupra modum exſiccat, eaque humore vacuata, incaleſcit, & dolet, & horret, & in longiorem febrem incidit; niſi quis recte curet. Oportet autem imprimis quidem balneo neque admodum multo, neque nimis calido lavari; deinde ipſum a balneo, epoto molli vino, in cœna quam plurimis & cujusque generis eduliis veſci, & potu aquoſo; vino autem molli ac copioſo uti. Poſtea diutius immorari, dum venæ oppletæ turgeſcant. Mox vomat, & poſt modicam ſtationem, molliter dormiat. Poſtea per dies ſex ſenſim ad cibos & labores conſuetos ipſi redeundum, & in his ad conſuetum tum cibum, tum potum deveniendum. Quæ curatio hanc habet vim, ut ſupra modum reſiccatum corpus, citra exceſſum humectare queat. Si quidem igitur concederetur, laboris exſuperantiam noſcendo quantacunque ea ſit, cibi com-

moderatione mederi, id bene haberet. Nunc vero illud quidem fieri non poteſt, hoc vero facile. Reſiccatum namque corpus, a cujusvis generis ingeſtis, ſibi quod confert, adſumit, & unaquæque corporis pars de ſingulis cibis; repletum vero & humectatum, vacuato per vomitionem ventriculo, rurſus id, quod exſuperat, dimittit. Ventriculus autem vacuus factus revellit. Exſuperantem igitur humiditatem caro eructat; commoderatam vero non niſi per vim, aut labores, aut medicamenta, aut aliud quoddam revulſionis genus dimittit. Subinde cibi accretione ſenſim uſus corpori diætam reſtituit.

HIPPOCRATIS
DE
SANORUM VICTUS RATIONE
LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

NIHIL commune habet cum duobus prioribus, ſed neque eſt HIPPOCRATIS. HERODICI *gymnaſtæ opus eſſe* CLERICUS *ſuſpicatur. Agit de initiis morborum ex corporis exercitatione nimia aut nimis remiſſa naſcentium, & de eorum morborum remediis. Hæc fere ad victus rationem pertinent, ad abſtinentiam a cibis, vomitum, & proprias aliquas, neque alias exercitationes. Debilem*

ventriculum vomitu levat catulorumque carnibus, & in univerſum rationem medendi tradit a noſtra diverſiſſimam. Porro victus rationem ſecundum anni tempora docet mutare. Mireris, hieme non minus quam æſtate, Græcos corpora exercuiſſe, neque ignis ullam fieri mentionem: ipſaque balnea frigida imperari.

ARGUMENTUM LIBRI TERTII.

Diætæ applicandæ methodum inſtituit: quod perarduum ſit diætam præſcribere laboribus analogam; quæ diæta ſingulis anni tempeſtatibus, tum divitibus, tum plebi ſit idonea: de repletionibus, laſſitudine, earumque ſignis, & curatione: de diarrhœis, cruditatibus, faciei decoloratione, ructibus, ſtercoris vomitione, & cæteris ſimilibus.

CAPUT I.

Diætæ humanæ conſiderationem proponit.

DE diæta vero humana, quemadmodum etiam antea a me dictum eſt, accurate ſcribere quidem nemo poteſt; ita ut ad ciborum copiam laborum commoderatio adhibeatur. Multa enim ſunt, quæ prohibent. Primum quidem differentes inter ſe hominum naturæ. Nam & quæ ſiccæ ſunt, ipſæ inter ſe invicem, & cum cæteris collatæ, magis & minus ſiccæ ſunt, & humidæ, ad eundem modum, &

cæteræ omnes. Deinde etiam ætates, quæ iiſdem minime indigent. Ad hæc vero & regionum poſitiones, ventorumque mutationes; & tempeſtatum tranſmutationes, & anni conditiones. Quin & inter cibos ipſos magna eſt differentia. Triticum enim a tritico, & vinum a vino differt, reliquaque omnia, ex quibus victum trahimus, quum diverſa ſint, impediunt, quo minus quis ea de re exacte ſcribere poſſit. Sed enim inventæ a me ſunt eorum, quæ in corpore ſuperant, prænotiones, ſive labores cibos, ſive cibi labores ſuperent, & ut ſingulis mederi oporteat: tum etiam ſanis naturis proſpicere, uti ne in morbos incidant: niſi quis valde multum ac ſæpe delinquat. Hæc autem medicamentis jam indigent; ſunt autem quædam, quæ neque medicamentis ſanari poſſunt. Quæ igitur quam proxime ad finem inveniri potuerunt, a me inventa ſunt: exacte vero a nemine.

CAPUT II.

Sanorum diætam quatuor anni tempeſtatibus accommodatam, in genere deſcribit.

PRIMUM quidem igitur pleriſque hominibus præſcribam, ex quibus maxime utilitatem capiant, qui cibis quibuslibet & laboribus neceſſariis, coactisque profectionibus utuntur, tum qui maritimis negotiationibus ad victum parandum repertis occupantur; ſi plus juſto incaleſcant, & magis, quam expediat, refrigerentur, reliquaque victus ratione inſtabili utantur. His ſane ex præſentibus ita victum inſtituere conducit. Annum quidem in quatuor partes omnibus

ſere notas divido, hiemem, ver, æſtatem, & autumnum. Ac hiemem quidem a Vergiliarum occaſu ad Æquinoctium vernum. Ver autem ab Æquinoctio ad Vergiliarum exortum. Æſtatem a Vergiliarum ortu ad Arcturi exortum. Autumnum vero ab Arcturo ad Vergiliarum occaſum.

Per hiemem igitur, ut anni tempori frigido & conſtricto te opponas, hac victus ratione uti convenit. Primum quidem ſemel tantum cibus ſumendus; niſi quis alvum valde ſiccam habeat: ſi id fieri nequeat, parum prandendum. Cibis autem utendum ſiccis, auſteris, calefacientibus, ex toto collatis, ac meracis. Pane quoque magis, & opſoniis aſſis potius quam elixis utendum. Potionibus item nigris, meracioribus, ac paucioribus. Oleribus autem quam minimum, præterquam calefacientibus & ſiccis: ſuccis etiam, ac ſorbitionibus quam minimum. Laboribus autem plurimis omnibus, curſibusque flexis, ſenſim acceſſione facta, & lucta cum oleo longa, a levioribus adurgendo. Et deambulationibus quidem poſt exercitationes celeribus; a cœna vero tardis, in loco tepido. Matutinis etiam multis, ex levi initio vehementer in omnibus progrediendo, & leniter deſinendo. Duro etiam cubili, tum nocturnis deambulationibus uti, tum etiam in pulvere, ac canibus venari confert. Hæc enim omnia extenuant & calefaciunt: iisque plurimis utendum. Quum vero quis lavari volet, ſi quidem in palæſtra laboraverit, frigida lavetur: quod ſi alio quopiam labore uſus fuerit, calida magis confert. Uti autem ad hoc tempus re venerea frequentius oportet; at grandiores natu magis, quam juniores. Vomitionibus autem poſt cibos cujusvis generis humidiores ter in menſe utantur; ſicciores vero bis. A vomitionibus ſenſim per tres dies ad con-

ſuetum cibum perveniendum : & ſub id tempus levioribus & paucioribus laboribus utendum. A bubula & porcina carne, aut a quibusvis aliis, qui ſupra modum repletus eſt, vomat. Quin etiam a caſeoſorum, & dulcium, & pinguium minime conſuetorum repletione, vomere confert. Poſt ebrietatem quoque, & ciborum mutationem, locorumque tranſmutationem, vomendum. Purum autem ſe frigori exponere oportet, præterquam a cibis, & exercitiis. Sed & in matutinis deambulationibus, quum corpus incaleſcere cœperit, & in curſibus, reliquoque quovis tempore, exſuperantia vitanda eſt. Hac enim tempeſtate corpori frigus ſentire, quam exerceri magis confert. Neque enim arbores, quæ hoc tempore frigora non ſenſerunt, fructum ferre, aut ſatis valere poſſunt. Hac quoque tempeſtate laboribus etiam multis ad exſuperantiam utendum; niſi laſſitudines contingant. Iſtud docebo plebeios argumentum: curque hæc ita ſe habeant, aperiam. Quum hoc anni tempus frigidum & conſtrictum ſit, conſimilia etiam animalia patiuntur. Corpora igitur lente ex labore incaleſcere, & humidi, quod ineſt, parvam quandam portionem excerni neceſſe eſt. Deinde labori quidem temporis parum conceditur, quieti vero multum: quum dies quidem brevis ſit, nox autem longa. Ideoque neque tempus, neque labor modum excedunt. Eam igitur ob cauſam hoc anni tempore, iſta victus ratio inſtituenda eſt, a Vergiliarum occaſu ad Solſtitium usque, diebus quadraginta quatuor. At circa Solſtitium, in cuſtodia quam maxime eſſe oportet; & a ſolſtitio aliis totidem diebus eadem victus ratione uti.

Ubi autem tempeſtas favonium adduxerit, & mollior evaſerit, victus quoque rationem cum tempeſtate

te ſequi oportet, diebus quindecim, quum Arcturi exortus eſt, & hirundo advenit. Sequens vero tempus, varie magis jam tranſigere oportet, ad Æquinoctium usque, diebus duobus & triginta. Victus igitur ratione ad anni temporis varietatem accommodata, molliore ac leviore utendum, & cibis, & potibus, & laboribus, ſenſim ad ver adducendo. Cum autem Æquinoctium jam mollius evaſerit, diesque longiores, & noctes breviores, annique adveniens tempeſtas calida & ſicca conſtiterit, præſens etiam victus nutriens ac meracus eſto. Quemadmodum igitur arbores, quum ratione carcant, hac tempeſtate ſibi comparant adjumentum ad æſtatem (ferendam,) & incrementum, & umbram; ita & homo, quum mente ſit præditus, carnis incrementum ſalubre ſibi comparare debet. Ne igitur victus ratio derepente immutetur, tempus in ſex partes, per octo dies dividendum. In prima itaque parte de laboribus detrahendum, reliquisque lenioribus utendum, cibi quoque molliores exhibendi, & potiones aquoſiores ac albidiores, & lucta cum oleo in ſole utendum. In ſingulis autem anni temporibus una quæque victus ratio paulatim tranſmutanda, & deambulationes a cœna plures detrahendæ, matutinæ vero pauciores. Maza quoque pro pane adponenda, & olera cocta exhibenda, opſoniaque elixa aſſis adæquanda. Balneis etiam utendum, & parvo prandio, & rebus venereis paucis; vomitiones quoque primum quidem duobus interpoſitis diebus; deinde longiore interjecto tempore, faciendæ, quo & corpus ad puram carnem reducas, & victus rationem hoc tempore mollem inſtituas, ad Vergiliarum exortum. Tunc jam adeſt ætas, ad quam victus rationem inſtituere oportet.

Quum itaque Plejas jam exorta eſt, ci-

bis mollioribus & paucioribus utendum; deinde plus maza quam pane, eaque prius ſubacta, & vino dulci non emollita. Potibus autem mollibus, albis, aquoſis, prandio modico, & ſomnis a prandio brevibus, & ciborum ac potionum repletionibus quam minimis. In cibo potu quantum ſatis eſt utendum. Interdiu vero quam minimum bibendum, niſi neceſſaria aliqua ſiccitate corpus detineatur. Oleribus autem coctis utendum, æſtuoſis & ſiccantibus exceptis. Crudis quoque utendum, calefacientibus & ſiccantibus exceptis. Ac vomitionibus, niſi qua repletio inſit, minime utendum, rebusque venereis omnium minime. Balneis vero tepidis uti licet. Poma vero, quum pro natura humana valentiora ſint, ab his fructibus abſtinere præſtat. Quod ſi quis cum cibis utatur, minime deliquerit. Laboribus etiam, & curſibus circularibus exerceri oportet, & reciprocis curſibus modicis multo tempore, & deambulationibus in umbra. Lucta vero in pulvere, quo minimum incaleſcat. Nam volutatio in pulvere curſibus circularibus præſtat. Refrigerant enim corpus, humidum vacuando. A cœna minime deambulandum, ſed tantum ſurgendum. Mane vero deambulationibus utendum. Soles vitandi & frigora tum matutina, tum veſpertina, quæcunque a fluminibus, aut ſtagnis, aut nivibus ſpirant. In hac autem victus ratione ad ſolſtitium æſtivum usque perſeverandum, uti hoc tempore ſicca omnia & calida, ac nigra, & meraca, ac panes detrahas; niſi paulum quid voluptatis gratia exhibeas.

Tempore vero ſequenti, utatur mollibus, & humidis, & refrigerantibus & albis, ad Arcturi exortum, & Æquinoctium, diebus tribus & nonaginta. Poſt Æquinoctium autem hoc modo victus rationem inſtituere oportet,

per autumnum ad hiemem accedendo, ita ut frigorum ac teporis mutationes veſtitu craſſo devites. Hoc vero tempore prius in veſte motu utendum, frictioneque, & lucta cum oleo, ſenſim adjiciendo, & loco tepido deambulandum, calidaque lavandum, & ſomni diurni detrahendi; cibi etiam aſſumendi calidiores, minus humidi, & puri; potus vero nigriores, molles tamen & non aquoſi, olera autem minus. Reliquaque omni victus ratione ita progrediendum, ut ab æſtivis demas, hibernis utaris, non ad ſummum, quo quam proxime ad hibernam victus rationem devenias, per dies duodequinquaginta, ad Vergiliarum occaſum ab Æquinoctio.

Atque iſta quidem pleriſque hominibus ſuadeo, quibus temere vitam degere neceſſe eſt, neque licet reliquis poſt habitis ſuæ ipſorum ſanitatis curam habere. Qui vero ita ſunt comparati, ſibique in animum induxerunt, neque pecuniarum, neque ullius rei utilitatem, citra ſanitatem æſtimandam eſſe, iis a me inventa eſt victus ratio, quæ quoad ejus fieri poteſt, maxime ad veritatem accedit. Hanc itaque procedente oratione demonſtrabo.

CAPUT III.

Diæta ſanorum errores cognoſcere variis repletionum generibus docet. De repletionis primæ ſignis atque cura.

Atque iſta inventio mihi quidem inventori decora eſt; utilis vero diſcentibus: a nullo adhuc antea tentata, & quam ad alia omnia plurimi æſtimo. Eſt autem prænotio antequam ægrotent: & adfectionis corporum cognitio, utrum

cibi labores, an labores cibos ſuperent; an moderate inter ſe habeant. Quodcunque enim ſuperetur, ex eo morbi contingunt; ex mutua vero inter ſe æquabilitate, ſanitas adeſt. Ad has ſane ſpecies adgrediar & aperiam, quænam iis contingant, qui ſibi ſani eſſe videntur, & jucunde comedunt, ac laborare queunt, ac tum corporis tum coloris habent abunde.

Nares a cœna citra cauſam manifeſtam implentur; etſi plenæ eſſe videntur, nihil tamen emungunt. Quum vero mane deambulare & exerceri cœperint, tunc emungunt & ſpuunt; procedenteque tempore palpebras etiam graves habent: frontem pruritus occupat; cibis abſtinent, ac bibere minus poſſunt, & color his fit decolor; & aut diſtillationes, aut febres cum horrore excitantur, quocumque tempore repletionem commoveri contigerit. Eo autem tempore quidquid forte fecerit, æger in id culpam rejicit, quum minime in cauſa ſit. In hoc enim ſuperiores cibi laboribus, & ſenſim collecta repletio, morbum prius invexerunt. Verum non oportet eo usque differre; ſed quum prima ſigna noverit, ſcire, quod quum cibi labores ſuperant, paulatim collecta repletio eſt. Mucus enim & ſaliva repletionis ſunt indices: quæ quieſcente quidem corpore, ſpiritus meatus opplent, quum multa inſit repletio; quod vero labore incaleſcit, extenuatum excernitur. Hunc autem ita curare oportet: exercitatum conſuetis exercitiis citra laſſitudinem, calidaque lotum, cibis omnis generis explere, ac vomitionem ciere. A vomitu vero os & fauces vino auſtero colluat, quo venarum oſcula conſtringantur, nihilque amplius divellatur, velut ex vomitionibus contingere ſolet. Deinde ubi ſurrexerit, loco tepido modice deambulet. Poſtridie vero deambulatio-

nibus quidem utendum; exercitationibus tamen paucioribus & levioribus quam antea; & ſi æſtas fuerit, minime prandeat; ſi vero æſtas non ſit, parum comedat, & de cœna, quam ſumere ſolebat, dimidium detrahat. Tertio autem die labores quidem conſuetos omnes & deambulationes obeat; ſed ad cibos ſenſim adducatur, uti quinto die poſt vomitionem conſuetus cibus adſumatur. Quod ſi inde ſatis bene habuerit, de cætero paucioribus quidem cibis, laboribus vero pluribus curetur. Si vero plenitudinis ſigna minime quieverint, duabus ab ea, qua cibos (conſuetos) aſſumpſit, intermiſſis diebus, rurſus vomat, & ad eosdem ſenſim deducatur. Sin minus, etiam tertio idem (repete), quoad plenitudine liberetur.

CAPUT IV.

De repletionis ſecundæ, tertiæ, & quartæ dignotione & curatione.

At quidam ſunt homines, qui, ubi labores a cibis ſuperantur, talia patiantur. Incipiente quidem repletione, ſomni longi & placidi ipſis contingunt; & interdiu etiam dormiunt. Contingit autem ſomnus humectata carne, & funditur ſanguis, & quieſcit (eo) fuſo ſpiritus. Quum vero corpus plenitudinem amplius capere non poteſt, circuitus violentia ſecretionem intro jam remittit; quæ alimento a cibis provenienti occurrens, animam perturbat. Quo ſane tempore non amplius ſuaves ipſis ſunt ſomni, ſed hominem perturbari neceſſe eſt, ac pugnas movere videtur. Qualiacunque enim patitur corpus, talia videt anima, abdita viſione. Quum igitur eo devene-

rit homo, prope jam eſt, ut ægrotet. Quod autem morbum habiturus ſit, admodum eſt manifeſtum. Qualiscunque enim ſecretio venerit, & in quacunque parte invaluerit, eam morboſam facit. Sed prudentem hominem non decet differre: aſt quum primum cognoverit, curationem aggredi; & hunc ſane veluti priorem curare: longiori autem tempore, & exquiſita inedia opus habet. Sunt præterea etiam talia plenitudinis indicia. Quibusdam totum quidem corpus dolet; quibusdam vero corporis pars quædam, quæcunque ea fuerit. Dolor vero eſt velut laſſitudo, & delaſſati eſſe ſibi videntur; ſegnitiaque, & repletione remedium quærunt, quoad in febrem incidant. Ac nondum id vero cognoſcunt; ſed balneis, ac cibis utentes, morbum ad peripneumoniam deducunt: & in extremum periculum deveniunt. Verum antequam in hos morbos incidant, conſilio proſpiciendum, & ad hunc modum curandum: præcipue quidem mollibus fomentis hominem fovendo; ſin minus, (aqua) multa & calida lavando, & corpus quam maxime diluendo, & poſt exhibitos cibos, primum quidem acres ac plurimos, deinde ſalſos, probe vomitum ciendo: poſtea exſurgat æger, modicoque tempore in loco tepido deambulet: deinde dormiat. Mane vero deambulationibus paulatim, adjectione facta utendum, exercitationibusque levibus, atque ciborum oblationibus, velut antea. Extenuatione autem plurima & deambulationibus indiget. Si vero non adhibita providentia, in febrem inciderit, per dies tres, præter aquam, nil offerendum. Interea igitur ſi ſedetur, bene ſe habet: ſin minus, ptiſanæ ſucco curandus eſt: & vel quarto, vel ſeptimo die decedet febris, ſi exſudaverit. Bonum vero eſt ſub criſes illitioni-

bus ſudorem moventibus uti; (ad ſudorem) enim provocant.

At quidam etiam ex plenitudine hæc perpetiuntur. Caput iis dolet & gravatur, palpebræque ipſis a cœna concidunt, & inter dormiendum turbantur, calorque ineſſe videtur, & alvus interdum ſiſtitur. Quum autem venere uſus eſt, homo levior ſtatim ſibi videtur; at poſtea magis gravatur. In his caput, plenitudinem ad ſe attrahens, tum alvum ſupprimit, tum ipſum gravatur; & gravia impendent pericula, & quo plenitudo eruperit, id ipſum corrumpit: ſed hac ratione providendum. Si celerem curationem facere velis, veratro purgandus eſt; deinde cibi leves & molles, ad dies decem offerendi, iique alvum dejicientes, quo alvus inferior, deorſum revellendo, caput ſuperet. Curſibus tardis & matutinis, ac deambulationibus convenientibus, utendum; luctaque ex oleo, & prandio, ſomnoque a prandio non longo; a cœna vero tantum exſurgere ſatis eſt. Et partim quidem balneis, partim vero unctionibus (utendum) balneis autem tepidis; a coitu autem abſtinendum. Hæc quidem expeditior eſt curatio. Quod ſi medicamentorum potiones ſumere nolit, multa calida lotus, a cibis dulcibus & ſalſis vomat; a vomitu vero, ut exſurgat, ſatis eſt. Matutinæ autem deambulationes, & exercitationes præſcriptæ, ad dies ſex ſenſim augendæ. Die vero ſeptimo addita repletione, ex ſimilibus cibis vomitus movendus eſt: & ad eundem modum ſenſim adjectio facienda. His autem ad quatuor hebdomadas utendum. Tanto enim maxime tempore reſtituitur. Deinde cibi exhibendi, quo corpus reficiatur: & diæta ad conſuetum morem paulatim reducenda.

CAPUT V.

Repletionis quintæ, ſextæ, atque ſeptimæ dignotio & curatio.

HÆC quoque ex plenitudine contingunt. Quibus ventriculus cibum quidem concoquit, carnes vero minime recipiunt, alimentum intus manens flatum infert; ubi autem pranſi fuerint, ſubſidet. Levius enim a valentiore expellitur, & ſibi liberari videntur; ſed poſtridie multo copioſius adeſt. Quum autem in dies ſingulos increſcens, valentius fiat, id, quod adeſt, quæ ſuperingeruntur, ſuperat, corpusque calefacit & perturbat, & diarrhœam infert. Hoc enim ita nominatur, quoad alimentum ſolum computreſcens per alvum ſecedit. At ubi calefacto corpore acris purgatio fit, tunc & inteſtinum raditur ac exulceratur, cruentaque per alvum demittuntur: hoc dyſenteria vocatur, tum gravis, tum periculoſus morbus. Verum providere oportet, prandiumque detrahere, & cœnæ tertiam partem; curſibus autem pluribus & luctis uti, & deambulationibus tum ab exercitationibus, tum mane. Quum vero dies decem præterierint, cibi detracti dimidium adponere, & vomitum ciere, atque ad dies quatuor cibum ſenſim offerre. Ubi vero alii decem dies advenerint, tum reliquum cibum adjicere, tum vomitum facere. Et ſenſim ad cibum adducendo, intra hoc tempus ſanitati reſtitues. Laboribus autem hic audacter urgendus eſt. Accidit vero quoque ejusmodi plenitudo. Poſtridie cibum crudum citra ructum acidum eructat. Quod ſi venter dejicit, pauciora quidem quam pro ciborum ratione, ſatis multa

tamen; dolor vero nullus adeſt. His quum ventriculus frigidus ſit, cibos per noctem concoquere nequit. Motione igitur accedente, cibum crudum eructat. Huic itaque, tum victus ratione, tum laboribus ventriculo calorem conciliare oportet. Ac primum quidem pane confuſaneo fermentato, in vino nigro, aut ſuillæ carnis juſculo intrito utendum; piſcibus vero in acri muria decoctis. Carnoſis etiam utendum, velut trunculis ſuillis percoctis pluribus; & carnibus ovillis coctis; porcinis vero non multis, neque catulorum, neque hœdorum carnibus. Oleribus autem, porro, & allio coctis, & crudis, blitoque cocto, & cucurbita; tum potionibus meracioribus; tum ſomnis longis, citra prandium primis diebus, tum etiam ſomnis poſt exercitationes; curſibus etiam flexis paulatim increſcentibus; lucta item mollis ex oleo ſenſim adjicienda. Balneis quoque paucis, inunctionibus pluribus, deambulationibus etiam matutinis pluribus; a cœna vero modicis utendum. Bona eſt etiam ficus cum cibis (ſumpta,) & poſt merum. Ex hac quidem curatione, his quidem citius, illis vero tardius plenitudo curatur.

Aliis autem quibusdam iſta contingunt. Faciem decolorem habent, & ubi comederint, paulo poſt acida eructant, & acor ſurſum nares petit. His corpora impura ſunt; quum plus ex carne a labore colliquetur, quam ex circuitu repurgetur. Quod ſane intus remanens, alimento contrarium eſt, eique vim infert, & acidum reddit. Alimentum igitur eructatur; ipſum vero ſub cutem propellitur, hominique decolorationem procreat, morbosque hydropi ſimiles. Verum ita providere oportet. Celerior igitur curatio eſt, epoto veratro cibos exhibere, quemadmodum a me ſcriptum eſt. Tardior vero

per victus rationem hoc modo. Primum quidem lotum calida, vomitum ciere; deinde ſeptem a vomitu diebus ad conſuetum cibum adducere oportet. Decimo vero poſt vomitum die, rurſus vomat, & eodem modo cibos adſumat; idque tertium ſimiliter faciat. Et curſibus utatur circularibus paucis ac concitatis, & in motionibus, & frictione ac in exercitatione mora longa ungatur, & volutatione in pulvere. Utatur vero & deambulationibus multis poſt exercitationes, quin etiam poſt cœnam; matutinis autem utatur plurimis in pulvere. Quum autem lavari volet, calida lavetur; & impranſus totum hoc tempus tranſigat. Et ſi quidem uno menſe reſtituitur, de cætero convenientibus curetur. Quod ſi quid reliquum fuerit, priore curatione utatur.

CAPUT VI.

Repletio octava, nona, decima.

SUNT autem nonnulli quibus poſtridie ructus acidi contingunt; his in nocte ſecretio fit ex plenitudine. Quum igitur ex ſomno corpus motum fuerit, crebriore ſpiritu uſum, una cum ſpiritu calidum & acidum foras propellit; indeque, niſi quis providentia utatur, morbi oboriuntur. His autem confert, velut ſuperiori, curationem adhibere; ſed hi pluribus laboribus uti debent.

Nonnullis etiam iſta contingunt. In corporibus denſa carne præditis, quum cibi concaleſiunt, & diffunduntur, tum a primo ſomno, tum a cibis carne incaleſcente, per ſomnum a carne multæ humiditatis ſecretio fit; deinde caro, quum denſa evaſerit, alimentum non ſu-

ſcipit. Quod vero a carne ſecretum eſt, alimento contrarium, ac foras vi propulſum, hominem ſuffocat & calefacit, quoad evomuerit. Poſtea vero levior factus eſt: ac dolor nullus manifeſtus in corpore; ſed pallidus redditur. Procedente vero tempore, & dolores, & morbi oboriuntur. His autem conſimilia patiuntur & ii, qui exercitationibus non adſueti, derepente laboraverunt, & violentam multamque carnis colliquationem fecerunt. His hæc adhibenda curatio eſt. Cibi pars tertia detrahenda. Utendum autem cibis acribus, ſiccis, auſteris, odoratis, & urinam ducentibus. Curſibus vero, flexis quidem plurimis in veſte; exſutis autem veſtibus, ad metam recurrentibus ac circularibus: frictione item & lucta modica; ſed lucta, quæ fit tantum palmis inter ſe conſertis: hæc enim lucta, quam follis pugillatorii certamen utilior eſt. Deambulationibus quoque multis poſt exercitationes utendum, iisque matutinis, & a cœna. Vocis autem exercitatio utilis eſt; quum enim humidi vacuationem faciat, carnem rarefacit. Confert quoque ſine prandio degere. Hiſce autem utendum per dies decem; deinde dimidium ſubtracti cibi adjiciendum per dies ſex, & vomitus procurandus: & poſt vomitionem usque ad quatuor dies cibus paulatim adjiciendus. Diebus vero decem a vomitu præteritis, totum ſubtractum cibum recipiat, & ad labores ac deambulationes animum convertat, & ſanus evadet. Ejusmodi autem natura copioſiore labore quam cibo indiget.

Altera plenitudo. Quidam etiam talia perpetiuntur; cibus per alvum ipſis ſecedit liquidus, incoctus: qualis in lienteria, nullumque dolorem affert. Hoc autem præcipue patiuntur alvi humidæ & frigidæ: quæ propter frigiditatem quidem minime

concoquunt; propter vero humiditatem dejiciunt. Corpus proinde contabeſcit, quum alimentum conveniens non adſumat, alvique corrumpuntur, & in morbos incidunt: verum proſpiciendum eſt. Huic quidem confert ciborum tertiam partem ſubtrahere. Sint autem cibi, panes non fermentati, confuſanei, clibano cocti, aut ſubcinericii, calidi, vino auſtero intincti; & piſcium partes ex dorſo & cauda; partes vero capitis & ventris inferioris, tanquam humidiores (ſinendæ.) Et cocti quidem piſces cum muria edendi; aſſati vero cum aceto. Carnibus etiam ſale & aceto conditis utendum, & catulinis aſſatis, e palumbe autem, ac reliquis hujusmodi volucribus, aſſatis & elixis: oleribus autem quam minimum. Vino quoque nigro, & deambulationibus; ſed a cœna, ac matutinis, & a deambulatione dormiendum. Curſibus autem inflexis utatur, ſenſim acceſſione facta. Sit & frictio multa, & lucta tarda, tum in oleo, tum in pulvere, uti concaleſcens caro reſiccetur, & ex ventriculo humiditatem retrahat. Inungi autem magis quam lavari conducit; impranſus vero degat. Ubi autem dies ſeptem præterierint, dimidium cibi adjiciatur: & ad dies quatuor cibus ſenſim exhibeatur, & vomat; præteritis vero aliis ſeptem diebus, totum cibum recipiat, & vomitione rurſus facta, ad eadem ſenſim reducatur.

CAPUT VII.

De repletione undecima, duodecima, & decima tertia.

ALIIS autem quibusdam hæc contingunt; alvi recrementum incoctum per alvum ſe-

cedit, corpusque contabeſcit, quum cibis minime fruatur. Hi vero procedente tempore in morbos delabuntur. His ventres ſunt frigidi & ſicci. Proinde quum neque convenientibus cibis, neque exercitationibus utantur, talia perpitiuntur. Sic autem adfecto panibus puris, furnaceis uti conducit, & piſcibus coctis cum intritis, carnibusque ſuillis coctis, & animalium extremitatibus percoctis, plurimisque aſſis, & ex acribus ac dulcibus, his, quæ humectant, & ſalſuginoſis. Vinis quoque nigris & mollibus; & uvis ac ficubus inter reliquos cibos abunde uti confert. Modicum vero prandere oportet: & pluribus exercitationibus uti, curſibusque inflexis, ſenſim acceſſione facta; circularibus autem poſtremis, & poſt curſum lucta ex oleo: deambulationibus vero poſt exercitationes non multis; a cœna vero ſatis eſt exſurgere. Matutinis autem deambulationibus plurimis utendum. Calida vero lavetur, & inunctionibus utatur; ſomno longiori indulgeat, & molliter cubet. At venere aliquantulum utendum, & cibi pars quarta ſubtrahenda, diebusque decem ad cibos paulatim reducendus.

Sunt vero nonnulli, quibus alvi recrementum liquidum & concoctum per alvum ſecedit; & qui alias ſani ſunt, & exercentur, res nullam moleſtiam exhibet.

Quibus vero convenientia exercitia deſunt, procedente tempore venter ob caliditatem carnes attrahit, ſaneque dolorem exhibet; & cibos faſtidiunt, & venter exulceratur: ipſumque jam ſiſtere difficile eſt. Prius autem providere oportet, ubi cognoveris ventrem plus quam expediat calidum, & humidum, laborumque minime convenientium exſuperantiam contigiſſe. Victus igitur ratione refrigerare & ſiccare oportet, & pri-

mum quidem exercitationes dimidia ex parte detrahere, ciborumque tertiam partem. Maza vero ante ſubacta, vino dulci intrita, piſcibusque ſicciſſimis, coctis, neque pinguibus, neque ſalſis. Carnibus vero volucrium utatur aſſis; palumbis quidem & columbæ elixis: perdicum vero & gallorum aſſatis, ſine condimento. Leporinis autem in aqua coctis, & ferinis omnibus. Oleribus vero quæ refrigerant, velut beta cocta, aceto condita. Vino etiam nigro, auſtero. Exerceatur quoque curſibus circularibus, celeribus. Sed neque multa frictio adhibeatur, ſed modica, neque etiam lucta. Lucta ſummis manibus, & manuum ad rythmum agitatio, & follis pugillatorii certamen, ac volutatio in pulvere commoda; ſed non multa. Deambulationibus poſt exercitationes utatur, pro laborum ratione accommodatis; & a cœna, ad ciborum rationem, pluribus, & matutinis, pro habitus ratione, moderatis. Lavet autem tepida, & quietem agat. Hac victus ratione per decem dies uſus, cibi dimidium, & laboris tertiam partem adjiciat; & poſt cibos ſiccos & acerbos aſſumptos, vomitus cieat; nec cibo immoretur, ſed quam citiſſime vomat. Poſt vomitum vero ad quatuor dies cibus & labor partitus ſenſim exhibeatur. Quum autem dies decem præterierint, reliquus cibus adjiciatur, & vini potio conſueta; ſed labores parciores. Ac vomitione facta, paulatim ad priorem victum, velut ſcriptum eſt, deducatur. Semel vero tantum cibum capere per hoc tempus confert, quoad malum conquieverit.

Aliis autem quibusdam ſiccum quodammodo & exuſtum eſt alvi recrementum; osque ſiccum, & progreſſu temporis amarum evadit, & alvus ſiſtitur, & urina. Quum enim inteſtinum hu-

miditatem non habeat circa excrementum, intumeſcens vias obſtruit, & dolorem parit; calor prehendit, & quidquid biberit, aut comederit, evomit; tandem etiam ſtercus vomit. Quo quum hic pervenerit, non vivet. Verum ante providere oportet eum, qui hominem ſiccitate evinci agnoverit. Hunc igitur victum inſtituere oportet, ex maza prius ſubacta, reſperſa, & pane ex tritico trimeſtri, furfurum ſucco fermentato; oleribus quoque coctis uti, præterquam acribus & ſiccis; piſcibus etiam leviſſimis coctis, piſciumque & locuſtarum capitibus, mytulis, erinaceis, & cancris, & conchyliorum ſuccis, iisque liquidiſſimis. Carnibus vero ſuillis, & trunculis anterioribus coctis, hœdorum etiam & agnorum, atque catulorum elixis. Piſcibus ſane fluvialibus, & in ſtagnis degentibus coctis. Vino molli, aquoſo. Laboribus autem non multis, neque celeribus, ſed omnino quietis. Deambulationibus autem matutinis utatur, quæ pro corporis habitu ſatis ſint, & poſt exercitii labores moderatis; a cœna vero minime deambulet. Balneis quoque utatur, & ſomnis mollibus, & prandio: ſomnoque a prandio non longo. Fructibus etiam humectantibus cum cibis utatur, & cicere viridi, ſiccoque in aqua macerato. De prioribus autem laboribus dimidium etiam hic a principio detrahat, & poſt dulces, pingues, ſalſos, multosque cibos vomitum faciat, plurimoque tempore in cibis immoretur, adusque vomitum. Deinde per tres dies ſenſim ad cibum redeat, neque impranſus maneat. Quum vero dies decem præterierint, labores plures ſenſim adjiciat; & ſi quidem plenitudo ac ventriculi a cibo offenſio adſit, vomat; ſin minus, ſic reliquo tempore in iſta curatione perſeveret.

CAPUT VIII.

Duas inanitionum ſpecies cognoſcere, & curare docet.

CONTINGUNT autem etiam iſta. Horrores a matutinis deambulationibus proveniunt, & caput gravatur. Huic deambulationes modum excedunt. Corpus enim & caput humore vacuatum horret, & gravatur; procedente vero tempore in febrem horrificam incidit. Verum ad hoc deveniendum non eſt, ſed prius ita curandum. Quum ſtatim ſigna aliqua adfuerint, unctus, & frictus modice, plus ſolito prandeat: & vinum molle, quod ſatis ſit, bibat, deinde a prandio abunde dormiat. Sub veſperam vero, levibus exercitiis uſus, & calida lotus, more ſolito cœnet. A cœna deambulationibus non utatur; ſed aliquanto tempore immoretur. Poſtridie vero in aqua lavetur, & in mollibus ſomnis vitam traducat. Et per dies quinque ſenſim is ad conſueta deducatur.

Sunt autem nonnulli, qui poſt exercitationes horrent; ac ubi quis exſuitur, donec certamen conſerat; quum vero refrigeratur, rurſus horret: & dentium fremitus corpus occupat, ſomnoque gravatur; quumque expergiſcitur, ſæpius oſcitat. A ſomno vero ei palpebræ ingraveſcunt: progreſſuque temporis malignæ febres ſuccedunt. Cavere igitur oportet, ne huc usque res progrediatur, ſed prius ita curare. Imprimis quidem exercitationes omnes, aut dimidium, detrahantur. Cibis vero omnibus humidioribus & frigidioribus utatur, potibusque mollioribus ac dilutioribus. Ubi autem dies quinque præterierint, detracto-

detractorum laborum tertia pars adjiciatur; cibis vero iisdem utatur. Poſt alios autem quinque dies, reliquorum laborum dimidium adjiciatur. Rurſusque alio quinto poſt die, labores omnes, ſed leviores paucioresque reſtituito, ne iterum exſuperantia contingat. Iis enim, qui ſignis hujusmodi conflictantur, labores cibos excedunt. Æquales igitur reddere oportet.

Ac quibusdam hæc non contingunt; ſed partim quædam, partim vero minime. In omnibus autem iſtis ſignis, labores cibos ſuperant, curatioque eadem eſt. His autem calida lavare, & molliter cubare conducit: ſemelque atque iterum merum bibere, ſed non ſupra modum. Quod ſi rerum venerearum uſus acceſſerit, a laboribus quieſcendum. A deambulationibus vero prorſus abſtinendum.

HIPPOCRATIS
DE
VICTUS RATIONE SALUBRI.

PRÆFATIO.

VETERES addebant ad Librum de natura hominis: mihi videtur plurima ſimilia habere cum libro III de Diæta, ex quo alia quidem, & multa ſane, exſcripta ſunt, alia hic fuſius tractantur, ut ratio vomitus diætetici.

ARGUMENTUM LIBRI.

Rationem victus iis, qui ſibi vivunt, inſtituit, pro temporis, habitus, ætatis, affectuum, ſexus, & conſuetudinis ratione.

CAPUT I.

Victus ratio qualis inſtituenda ſit pro corporum, anni temporum, ac ætatum varietate: quando deambulandum.

PRIVATOS homines hac vivendi ratione uti oportet; hieme quidem edere quam plurimum, quam minimum vero bibere: ſed potum eſſe quidem decet vinum quam meraciſſimum: cibos vero, panem, & obſonia, cocta omnia. Oleribus autem quam pauciſſimis hac tempeſtate utendum: ſic enim maxime corpus tum calidum, tum ſiccum fuerit. At quum ver acceſſerit, tunc copioſius, & dilutius, paulatimque vinum bibendum eſt, cibisque mollioribus & paucioribus utendum; panis ſubtrahendus, & maza offerenda: eademque ratione obſonia detrahenda, & pro aſſis elixa omnia paranda. Oleribus etiam paucis vere utendum, donec ad æſtatem homo deveniat; tum molliores omnes cibos, tum obſonia cocta ſumendo, & olera cocta & cruda; ſimiliterque potus plurimos, & uti dixi, quam dilutiſſimos, idque ſenſim, ne magna mutatio derepente utenti contingat. Æſtate autem tum molli maza, tum potu copioſo & diluto, obſoniisque omnibus elixis nutriri oportet, iisque ita utendum dum æſtas fuerit, quo

corpus molle ſit & frigidum: ſiquidem hæc tempeſtas calida eſt & ſicca, & corpora æſtuoſa & ſqualida facit. Hac igitur inſtituta victus ratione iis ſuccurrendum eſt. Eadem vero ratione, quemadmodum ex hieme ad ver, ſic etiam ex vere ad æſtatem deveniet, cibos quidem demendo, potum vero augendo; ad eumque modum anniverſaria ratione peracta, ex æſtate ad hiemem perveniendum. In autumno contra, cibi quidem majore copia, & ſicciores exhibendi, & obſonia ad eundem modum; potus vero pauciores & meraciores, ut homo commodam degat hiemem, ſi potibus utatur meracioribus, & paucis, cibisque quamplurimis & ſicciſſimis. Ita enim quum maxime valebit, tum minime frigus ſentiet; quum hæc anni tempeſtas admodum frigida ſit, & humida.

Corporibus vero carnoſis, & mollibus, ac rubris confert ſane majorem anni partem ſicciore victus ratione uti: humida namque eorum corporum natura eſt. Duros vero, denſos, fulvos, & nigros humidiore victu majorem temporis partem uti oportet; nam hujusmodi corpora ſicca ſunt.

Junioribus quoque corporibus confert, tum molliori, tum humidiori victu uti; hæc enim ætas ſicca eſt, & eorum adhuc corpora compacta ſunt. Senes vero ſicciore victus modo plurimam temporis partem degere oportet: nam ea ætate humida, mollia, & frigida ſunt corpora.

Quare pro ætate, anni tempore, conſuetudine, regione, corporum habitu, victus ratio inſtituenda eſt, reluctandumque inſtantibus & caloribus, & brumis; ita namque optima valetudo conſequetur. Ac hieme quidem celeriter ire oportet; æſtate vero ſedatius ſe habere, niſi per

(ſolis) ardorem iter ſit faciendum. Corpulentos autem celerius, graciles vero tardius iter facere convenit. Balneis etiam multis per æſtatem, at per hiemem paucioribus utendum: gracilibus vero magis, quam carnoſis, expedit lavari, hieme autem veſtes puras induere convenit; æſtate vero oleo imbutas: ſiccos autem contrario modo.

CAPUT II.

De modo gracileſcendi, & pingueſcendi; vomitus quando & quo modo inſtituendus.

CRASSOS autem oportet, quique tenues fieri volunt, labores omnes jejunos ſubire, & adhuc ex labore anhelantes, necdum refrigeratos cibum adſumere, vinumque prius bibere dilutum, ac non perfrigidum. Obſonia quoque ex ſeſamis, aut condimentis, aliisque hujuſmodi apparata adſumere. Atque ſint pinguia obſonia, quæ offeruntur: ſic enim a pauciſſimis cibariis impleantur. Quin & ſemel tantum in die cibum adſumere, ſuperſedere balneis, duriter cubare, nudumque obambulare, quoad ejus fieri queat, oportet. Qui vero tenues quum ſint, craſſiores effici volunt, tum alia his, quæ dixi, contraria facere, tum jejunos nullam exercitationem ipſos ſubire oportet.

Vomitibus autem, & infuſis alvum eluentibus ſic utendum. Sex hibernis menſibus vomitus ciendus; id enim tempus æſtivo pituitoſius eſt, & morbi circa caput, & regionem eam, quæ ſupra ſeptum transverſum eſt, obſident. At quum æſtatis fervor adfuerit, infuſis utendum: hæc enim anni tempeſtas æſtuoſa eſt, & corpus bilio-

ſum magis redditur, gravitates etiam lumbos & genua infeſtant, calores oboriuntur, & ventris tormina concitantur. Corpus igitur refrigerandum: & quæ ſurſum adtolluntur, deorſum ex iſtis locis deducenda. Sint autem infuſa, craſſioribus quidem & humidioribus magis ſalſa & tenuiora; ſiccioribus vero & gracilioribus, & imbecillioribus pinguiora & craſſiora. At infuſa ſunt pinguia & craſſa, quæ ex lacte parantur, & ciceris decoctum, cæteraque id genus: tenuia vero & ſalſa, muria, aqua marina, & quæ ſunt ejusmodi.

Vomitus autem hoc modo provocandi ſunt: qui homines obeſi ſunt, ac minime tenues, jejuni vomant a curſu, aut celeri deambulatione circa meridiem. Hyſſopi eſto hemina dimidia in aquæ congio contriti, atque hoc ebibat, adfuſo aceto, & addito ſale, quo fiat jucundiſſimum: ac primum quidem ſenſim; deinde vero celerius ebibatur. Graciliores autem & imbecilliores a cibis vomitum cieant hoc modo: loti calida meri heminam præbibant; mox cibos cujusvis generis comedant, neque inter cibos, neque a cibis bibant, ſed ſe contineant quanto tempore quis quatuor ſtadia percurrat. Deinde triplex illis vinum in potum permiſcebis, auſterum, dulce, & acidum; primum quidem meracius, ſenſim & ex magno intervallo: deinde vero dilutius, celerius, & affatim.

At vero qui bis in menſe vomere conſuevit, hunc præſtat duobus ex ordine diebus vomitum ciere, quam decimo quinto die: ſed alii contrarium plane faciunt. Quibus vero cibos evomere incommodum eſt, vel quibuscunque alvi non facilem exitum habent, iis omnibus crebro de die cibum ſumere, & omnis generis cibariis uti con-

fert, ac obſoniis varie apparatis, vinumque duorum aut trium generum bibere: qui vero cibos revomunt, quique alvos habent humidas, iis omnibus contrariam huic vitæ rationem inire confert.

At pueros infantes per multum tempus aqua calida madefacere decet, vinumque aquoſiſſimum bibendum iis exhibere, neque prorſus frigidum; idque dandum, quod minime ventrem adtollat, & flatum creet: hæc autem facienda ſunt, quo minus convulſionibus tententur, magisque adoleſcant, & coloratiores evadant.

Mulieres autem ſicciore victus ratione ſic uti oportet: ſicca namque cibaria ad muliebrium carnium mollitiem magis ſunt idonea, & meraciores potus ad uteros, & fetus nutritionem, meliores ſunt.

CAPUT III.

De exercitiorum generibus, quæ, quando, & qua ratione conveniant.

QUI exercentur, per hiemem eos currere & luctari convenit: & æſtate parum quidem luctari, currere vero minime; ſed multum in frigore deambulare. Qui curſibus defatigantur, eos luctari oportet; qui vero lucta defatigantur, iis currendum eſt. Ita enim qui laborat, corporis parte defatigationi obnoxia calefiat, componatur, & maxime quieſcat.

Quicunque, quum exercentur, alvi potiſſimum profluviis corripiuntur, & alvi excrementa cibos referentia, ac incocta demittunt, iis tum exercitationum tertia pars minor non ſubtra-

henda, tum ciborum dimidia exhibenda eſt. Conſtat enim ventriculum ingeſtorum ciborum copiam, ut concoquat, concalefacere non poſſe. Cibus autem iis eſto panis quam maxime bis coctus, in vino comminutus, potusque quam pauciſſimi, & temperatiſſimi, neque deambulationibus a cibo utantur: ſub hoc vero tempus ſemel duntaxat cibum ſumere eos convenit. Sic enim vel maxime concalefiet ventriculus, & ingeſtos cibos ſuperaverit. Hoc autem alvi profluvii genus corporum habitus denſiori carne præditos potiſſimum exercet, quando ita natura comparatus eſt homo, ut ad carnium eſum compellatur: venæ ſiquidem condenſatæ cibos ingeſtos non recipiunt. Hæc autem natura quidem præceps eſt, & ad utramque partem vertitur, & hujusmodi corporum bonus habitus exiguo tempore viget.

At qui rariores habitus ac hirſuti, magis carnium eſum admittunt, laboresque magis ſuſtinent, diutiusque in bona corporis habitudine perſeverant. Qui poſtridie cibos eructant, & quibus præcordia cibis non coctis adtolluntur, iis longior ſomnus confert: quin etiam ad alios corporis labores cogi debent, vinumque meracius & copioſius bibere, & ſub id tempus paucioribus uti cibariis. Conſtat enim ſane ventriculum, præ imbecillitate & frigiditate, ciborum multitudinem concoquere non poſſe.

Quos autem ſitis obſidet, iis cibi & labores ſubtrahendi, & vinum aquoſum, & quam frigidiſſimum propinandum. Quibus vero viſcerum dolores, aut ab exercitatione, aut ex alio aliquo labore ſuboriuntur, his quieſcere, & cibis abſtinere confert. Potu autem utantur, qui quam pauciſſima copia (in corpus aſſumpta) plurimam

urinam ducat, ne venæ, viſceribus inſitæ, copia diſtendantur: ex his enim cauſis, tubercula & febres oriuntur.

Quibus vero morbi ex cerebro oriuntur, torpor primum caput obſidet, & urinam crebro mingit (æger), eademque, quæ in urinæ ſtillicidio perpetitur; iſtaque ad dies novem patitur. Et ſi quidem per nares, aut aures, aqua vel mucus erumpat, morbo liberatur, & ſedatur urinæ ſtillicidium. Mingit autem multum, & citra dolorem, idque album, quoad viginti præterierint dies, & capitis dolor hominem relinquit; ſed huic intuenti ſplendor obſcuratur. Porro virum prudentem ratiocinari oportet, ſanitatem plurimi ab hominibus æſtimandam eſſe, ac ſcire ſuo ipſius conſilio in morbis opitulari.

HIPPOCRATIS DE INSOMNIIS LIBER.

PRÆFATIO.

EUMDEM putes (*) auctorem habere, quem liber tertius de diæta. Simillima enim præcepta tradit de cibis addendis & detrahendis, de exercitatione, deque medicina quæ ea ratione fit. Elegans cæterum & comtus libellus, quo inſomnia ad ſuas cauſas phyſicas referuntur, calidum, frigidum, ſe-

(*) Senſit etiam Foeſius.

cretiones, repletiones. Indicationes etiam ab inſomniis deſumit, eorum, quibus iis malis medearis, ex quibus inſomnia nata ſunt. Propitiationibus parum tribuiſſe ſatis percipias, etſi eas paſſim commendat. Hic manifeſto dicitur ſanguinis circuitus auctus & diminutus.

ARGUMENTUM LIBRI.

Explicat inſomnia, ex quibus certa tum proſperæ, tum adverſæ valetudinis ſigna colliguntur: & cujusmodi res anima in ſomnis imaginatur.

CAPUT I.

Indiciorum ex inſomniis præſtantiam ac utilitatem præfatur; de anima in vigilia, ac ſomno; ſomnia alia præternaturalia, alia naturalia.

DE indiciis eorum, quæ in ſomnis (viſuntur) quisquis recte cognorit, is ea ad omnia magnam habere vim comperiet. Anima enim vigilat; & quum quidem corpori inſervit, in multas partes diſpertita, ſui juris non eſt; ſed ſingulis corporis partibus partem quandam communicat, ſenſibus nimirum, auditui, viſui, tactui, ambulationi, totius corporis actionibus: ipſa autem anima ſui ipſius non eſt. Quum vero corpus quieſcit, anima in motu eſt, & corporis partes perreptans, domicilio ſuo continetur, omnesque corporis actiones ipſa obit. Neque enim corpus dormiens ſentit; at ipſa vigilans cognoſcit; videnda videt, &

audienda audit; vadit, tangit, mœret, temporis momento ratiocinatur, ac (ut paucis dicam) quæcunque corporis, aut animæ officia ſunt, ea omnia in ſomnis anima peragit. Quisquis igitur recte iſta judicare novit, is magnam ſapientiæ partem novit.

Porro quæcunque ſomnia divina ſunt, & quædam eventura ſignificant, aut urbibus, aut privato populo, vel mala vel bona, non ob ipſorum culpam, ſunt qui ipſa judicant, de his accuratam artem habentes. Quas vero corporis affectiones anima prænunciat, repletionis, vel inanitionis, rerum a natura inſitarum exſuperantiam, vel conſuetarum mutationem, & hæc quidem judicant: & partim adſequuntur, partim aberrant, neutrumque eorum intelligunt, curnam fiant, neque id, quod adſecuti fuerint, neque a quo aberrarint. Præcavere ne quid mali accidat, adhortantes, ut cautio adhibenda ſit, non docent; ſed Diis ſupplicare jubent. At precari quidem decorum eſt & optimum; ſed oportet & manus admoventem Deorum opem advocare. De his itaque ita ſe res habet.

CAPUT II.

De inſomniis diurnas actiones objicientibus ſalubribus, inſalubribus, & perturbationis curatione.

QUÆCUNQUE inſomnia diurnas hominis actiones aut cogitationes ſub noctem exhibent, quales fuerunt, & eodem modo reddunt, quo per diem in re juſta, geſta aut conſulta ſunt, hæc homini bona ſunt; ſanitatem enim portendunt; propterea quod anima, neque pleni-

tudine ulla, neque evacuatione, neque alio extrinſecus accidente ſuperata, in diurnis conſiliis perſeverat.

Quum autem inſomnia diurnis actionibus adverſantur, & de ipſis pugna oboritur, quum id contigerit, perturbationem in corpore denunciat. Et ſi vehemens quidem ſit, malum eſt vehemens; ſi vero levis, debilius. De actione igitur, utrum averruncanda ſit, necne, nihil ſtatuo; corpus vero hominis curari ſuadeo. Repletione enim aliqua intus facta, ſecretio quædam contigit, quæ animæ negotium faceſſit. Ac ſi quidem, quod adverſum eſt, vehemens fuerit, vomitum ciere conducit, & cibos leves exhibere ſenſim adjiciendo aliquid ad dies quinque. Deambulationibus quoque multis ac concitatis, ſenſim adjectione facta (uti), & exercitationes pro ciborum adjectione moderatas adhibere. Si igitur quod adverſum eſt debilius fuerit, dempta vomitione, cibi tertiam partem demitto, eamque ſenſim in dies item quinque promoveto, & deambulationibus urgeto. Vocis etiam utitor contentione: & Diis ſupplicet æger, & conquieſcet ipſi perturbatio.

CAPUT III.

De inſomniis aſtra objicientibus, ſanitatem aut morbum ac curationem ſignificantibus.

At vero ſol, luna, cælum & ſidera, pura, & ſuo motu agitata, ſolito more viſa, ſingula bona ſunt. Sanitatem enim corpori ſignificant ab omnibus præſentibus. Atque hunc habitum præſenti victus ratione conſervare oportet.

Si vero horum aliquod contrarium fiat, aliquem corpori morbum portendit; a vehementioribus quidem vehementiorem; a debilioribus vero leviorem. Ac ſideribus quidem exterior ambitus, ſoli medius; lunæ verò, qui ad cavitates, (reſpondet.) Si quid igitur iſtorum ſiderum extingui, aut lædi, aut evaneſcere, aut curſum ſuſtinere videatur; in illa ipſa parte morbum eventurum (indicat;) ac debiliorem quidem, ſi ab aëre aut nube ex ipſis ſideribus aliquod pati videatur; ſi vero ab aqua, aut grandine, graviorem. Secretionem enim humidam & pituitoſam in corpore factam, & in externum ambitum incidiſſe indicat. Huic conducit, ut veſtibus indutus curſibus utatur multis ſenſim increſcentibus, ut quam maxime ſudet; & deambulationibus poſt exercitationem multis, etiam absque prandio, ſubtractaque tertia ciborum parte, paulatim ad dies quinque adjicere. Si vero vehemens (morbus) videatur, etiam vaporariis uti. Nam quum in externo corporis ambitu nocumentum ſit, purgationem per cutim facere confert. Cibis vero utendum ſiccis, acribus, auſteris, meracis, & laboribus maxime exſiccantibus.

At ſi quid horum luna patiatur, ad interna revulſionem facere conducit, ab acribus quoque, ſalſuginoſis, & mollibus cibis, vomitione uti; curſibus vero circularibus citatis, ac deambulationibus celeribus. Vocis etiam exercitiis (utendum), & prandii abſtinentia, cibique detractione, & adpoſitione eodem modo. Ob id autem intro revellendum, quoniam ad corporis cavitates offenſio conſpicitur.

Si autem tale ſol patiatur, vehementius jam malum eſt, & difficilius expellitur. Utramque vero in partem revulſiones faciendæ, & curſibus,

tum flexis, tum circularibus utendum, & deambulationibus, aliiſque omnis generis laboribus; ciborum etiam ſubtractione, & adjectione eodem modo. Deinde vomitu facto, rurſus ad dies quinque paulatim cibos adhibere.

CAPUT IV.

Cælum ac ſidera varie adfecta in ſomnis varios affectus ſomniantibus portendere, variaque præſidia indicare.

QUOD ſi ſereno cælo ſidera premantur, & imbecilla eſſe videantur, præ ſiccitate, & a ſuo circuitu inhiberi, imminentis morbi periculum denunciat. Sed labores ſubtrahendi, & victus ratione humidiore & molli utendum, & balneis, animique tranquillitate longiore, & ſomno multo, quoad (malum) conquieſcat.

Si vero igneum & calidum eſſe videatur, quod eis adverſatur, bilis ſecretionem arguit. Quod ſi etiam evicta diſpareant, imminens ex morbo mortis periculum eſt. Si vero terga vertiſſe, quod præſens eſt, ac celeriter fugere: hi vero perſequi videantur; inſaniæ periculum homini, niſi curetur, imminet. His vero omnibus poſt veratri purgationem, optime inſtituta victus ratio conducit. Alioqui, ut victus ratione ad aquam tendente utantur, expedit, neque vinum bibant, niſi album, tenue, molle, & dilutum. Ab acribus autem, ſiccantibus, calefacientibus, ſalſuginoſis abſtineant; laboribus ſecundum naturam plurimis utantur, & curſibus in veſte plurimis. Frictio vero ne adſit, neque lucta, neque volutatio in pulvere. Multo ſomno & molliter recu-

bet, & in deſidia degat, laboribus ſecundum naturam exceptis, & a cœna obambulet. Prodeſt etiam vaporariis uti, & ex vaporatione vomere. Per triginta dies minime repleatur. Quum vero repletus fuerit, cibariis ſumptis dulcibus, aquoſis & lenibus, bis in menſe vomat.

Quæcunque autem ex his nulla neceſſitate coacta huc vel illuc oberrant, animi perturbationem quamdam ex ſollicitudine indicant. Huic autem homini confert, ut cum animi relaxationem adhibeat, tum animum ad ſpectacula, quæ maxime riſum movent, convertat. Sin minus, per biduum aut triduum ea ſpectet, quibus maxime gaudeat, & malum conquieſcet; alioqui periculum eſt, ne in morbum incidat.

Quæ autem ſidera pura & ſplendida e ſua orbita excidere videntur, & auroram verſus feruntur, ſanitatem denunciant. Quidquid enim in corpore purum ſecundum naturam ex ſuo circuitu excernitur, a veſpera ad auroram, bene habet. Quæ enim in ventrem demittuntur, & in carnem rejectantur, ea omnia ex circuitu ſuo excidunt.

Quod vero horum nigrum & obſcurum, ad veſperam ferri videtur, ſive in mare, ſive in terram, aut ſurſum, hæc efficacius morbos portendunt. Et quæ quidem ſurſum feruntur, capitis diſtillationes; quæ vero in mare, ventris morbos, quæ autem in terram, tubercula potiſſimum in carnem eruptura ſignificant. His utile eſt tertiam cibi partem detrahere, & poſt vomitum, ſenſim ad dies quinque adjicere; in aliis autem quinque diebus totum cibum reponere, & vomitu facto, rurſus eodem modo ſenſim reducere.

Ex cæleſtibus vero quodcunque purum & humidum inſidere tibi videbitur, ſanitatem denun-

ciat; quoniam ex æthere in hominem deſcendit; tale vero, quale ingreſſum eſt, animus etiam cernit.

Quod autem nigrum, impurum, minime perſpicuum fuerit, morbum portendit, non ob plenitudinem aut evacuationem, ſed ob id, quod extrinſecus inductum eſt. Huic confert curſibus circularibus concitatis uti, quo quam minima corporis colliquatio contingat; & ubi ſpiritu quam creberrimo uſus fuerit, id, quod advenit, excernat. Poſt curſus autem deambulationibus concitatis (utatur.) Victus autem ratio ad dies quatuor mollis, & levis adhibeatur.

Quidquid vero purum a Deo ſumere ſibi quis videtur, id bonum eſt ſanitatis (augurium.) Ea enim, quæ in corpus ingeſta ſunt, pura eſſe indicat. At vero quidquid huic contrarium videre quis putat, bonum non eſt. Morbum enim corpori adveniſſe ſignificat. Huic igitur, velut priori, eadem curatio adhibenda eſt.

Si quis clementi cælo, molli pluvia complui, & minuta roratione, neque cum gravi tempeſtate madefieri videatur, bonum eſt. Commoderatum enim & purum ſpiritum ex aere ingreſſum eſſe ſignificat. Quod ſi his contraria contingant, ut quis vehementer complui aqua impura, & cum tempeſtate ac procella videatur; morbum a ſpiritu inducto ſignificat. Verum huic quoque eadem victus ratio obſervanda eſt, iisque omnibus modicus cibus exhibendus.

Ac de ſignis quidem cæleſtibus ſic ſtatuere & conſilio providere, ad idque victus rationem dirigere oportet, & diis ſupplicare. Ad res quidem proſperas, Soli, Jovi cæleſti, Jovi opulento, Minervæ, Junoni, Mercurio, Apollini; ad adver-

ſas vero, Diis averruncatoribus, & Terræ, & Heroibus, ut gravia omnia averruncent.

CAPUT V.

De corporeis, ac civilibus functionibus in inſomniis; de terræ arborum, fluviorum, fontium ac maris ſomniorum judicationibus.

At vero hæc quoque ſanitatem præſagiunt, ea quæ in terra fiunt, acute cernere, & audire firmiter, item ſecure iter facere, ac ſine metu currere; terram planam ac bene cultam videre; arbores item germinantes, fructuoſas & ſativas; flumina etiam curſu ſolito labentia, & aqua limpida, neque copioſiore, neque pauciore quam conveniat, fonteſque & puteos eodem modo. Hæc omnia (ſic viſa) ſanitatem homini denunciant, corpuſque & circuitus omnes, ciborumque exhibitiones, & excretiones recte habere. Quod ſiquid his quodammodo adverſum videatur, noxam aliquam in corpore ſignificat. Viſu quidem & auditu læſo, capitis morbus indicatur. Matutinis igitur deambulationibus, & poſt cœnam pluribus utendum, adjecta priore victus ratione. Cruribus vero læſis, vomitibus revellendum eſt, & frequentiore lucta utendum, ſervata etiam priore victus ratione.

Terræ vero ſquallidæ viſio, carnem minime puram indicat. Plurimæ igitur deambulationes poſt exercitationes obeundæ.

Arborum autem ſterilitas ſeminis humani corruptelam ſignificat. Si igitur ab arboribus folia decidant, ab humidis & frigidis offenſionem denotant: ſi vero frondoſæ fuerint, at fructu careant,

reant, a calidis & ſiccis. Hæc igitur per victus rationem refrigerare atque humectare oportet; illa vero ſiccare, & calefacere.

Flumina non pro more fluentia, ſanguinis circuitum denotant, & plus juſto quidem fluentia, exſuperantiam; minus vero, defectum. Hunc quidem diæta augere; illum vero imminuere oportet. Quum vero impura defluunt, turbationem indicant; quæ a curſibus circularibus ac deambulationibus, denſo ſpiritu agitata expurgantur. Fontes & putei aliquid circa veſicam ſignificant; quamobrem urinam cientibus (medicamentis) purganda eſt (veſica.) Mare (vero) perturbatum, ventris morbum ſignificat; ſed alvum dejicientibus, levibusque, & mollibus expurgare oportet.

CAPUT VI.

De terræ motæ, inundatæ, atræ, combuſtæ, & natationis ſomniorum judicationibus.

TERRA aut domus ſi moveri videatur, ſano quidem homini imbellicitatem, ægrotanti vero ſanitatem, præſentisque ſtatus immutationem portendit. Sano igitur victus rationem tranſmutare convenit. Imprimis vomat, ac rurſum paulatim cibum adſumat; nam corpus ex præſenti victus ratione totum movetur. At ægro eadem victus ratione uti confert, quum nimirum corpus ex præſenti ſtatu tranſmutetur.

Terra ab aquæ aut maris diluvio inundari ſi videatur, morbum ob multam humiditatem, quæ in corpore ineſt, denunciat. Sed vomitibus, prandii abſtinentia, & laboribus, & victus ra-

tione ſicca utendum: deinde ex parvis intervallis modicus cibus adjiciendus. Sed neque nigram, neque exuſtam terram videre bonum cenſetur, contra vero, ne vehemens ac lethalis morbus conſequatur, periculum eſt; ſiccitatis enim in carne exſuperantiam ſignificat. Sed labores & cibos tum ſiccos, tum calidos & acres, urinamque cientes detrahere, oportet; & in victus ratione ptiſanæ ſuccum decoctum, omniaque mollia & levia, ſed pauca exhibere. Potu utendum diluto, albo, copioſo; balneis calidis, multis; verum ne jejunus lavet; molliter cubet, in deſidia conquieſcat, frigus, ſolemque vitet. Terræ autem, Mercurio & Heroibus vota faciat.

Quod ſi in ſtagno, aut mari, aut fluminibus quis ſibi natare videatur, bonum non eſt: nam humiditatis exſuperantiam indicat. Huic autem victus ratione ſicca & pluribus laboribus uti confert. At febricitanti bonum eſt, quoniam calor ab humoribus extinguitur.

CAPUT VII.

De variæ corporum, partium, mortuorum, indumentorum formæ, ſomniorum judicationibus.

QUOD autem quis modo conſueto & ad naturam ſuam accommodato circum ſe fieri videt, neque majus, neque minus, bonæ valetudinis indicium eſt. Veſte etiam alba, & calceamento pulcherrimo indutum eſſe, bonum. Quidquid vero in membris majus fuerit, minime bonum; ſed neque quodcunque tandem minus fuerit. Et hoc quidem per victus rationem augere; illud vero imminuere oportet. Nigra autem mor-

boſiora ſunt, & periculoſiora; verum emollire & humectare oportet. Nova quoque tranſmutationem ſignificant.

Vita functos nitidos, & in albis veſtibus videre, bonum eſt; bonum quoque quid purum ab ipſis ſumere. Corporum enim, & eorum, quæ ingeruntur, ſalubritatem indicat; quum a mortuis alimenta & incrementa & ſemina ipſa proveniant. Hæc autem pura in corpus ingredi, ſanitatem denunciat. Quod ſi contra quis aut nudos, aut atratos, aut ſordidatos, aut aliquid accipientes, aut ædibus exportantes videat, minime eſt accommodatum; morbum enim indicat, quod quæ in corpus ingerantur, noxia ſint. Verum curſibus circularibus & deambulationibus repurgari oportet, & vomitu facto alimentum molle & lene ſenſim adhibere.

Quæcumque vero monſtroſa corpora in ſomnis ſe oſtendunt, & hominem territant, ciborum inſuetorum repletionem, & ſecretionem, & choleram, ac periculoſum morbum indicant. Verum vomitus procurandus, & ad dies quinque cibi quam leviſſimi, non multi, neque acres, neque ſicci, neque calidi ſenſim adhibendi, & laboribus maxime ad naturam accomodatis (utendum,) præterquam deambulationibus a cœna. Balneis etiam & calidis lavacris utendum & animi æquabilitate; ſol & frigus vitanda.

CAPUT VIII.

Quæ ab adſuetorum eſu, potu, viſu; quæ a pugna, fluminum traiectionibus, hoſtibus & monſtris ſomniorum interpretationes deſumantur.

PER ſomnum vero ſi quis ſolitos cibos aut potus ſibi edere ac bibere videatur, alimenti inopiam, animique mœrorem indicat. Carnes autem validiſſimæ, maximæ exſuperantiæ indices ſunt, debiliores vero, minoris. Quemadmodum enim id, quod editur, bonum eſt, ita & quod cernitur. Cibos igitur ſubtrahere convenit, quum alimenti exundantis id ſit indicium. Quin etiam panes ex caſeo & melle confecti, per ſomnum comeſti, eadem indicant. Aquam puram (per ſomnum) bibere, bonum; reliqua vero omnia nocent. Quæcunque ex conſuetis per quietem quis ſibi cernere videtur, ea animi deſiderium ſignificant. Quæ vero perterritus fugit, ſanguinis repreſſionem præ ſiccitate indicant. Corpus autem refrigerare & humectare conducit.

Quod ſi quis aut pugnare, aut pungi, aut ab aliis vinciri ſibi videtur, ſecretionem circuitui contrariam in corpore factam ſignificat. Vomere igitur confert & adtenuare, ac deambulare, cibisque levibus uti, & a vomitu per dies quinque eos ſenſim adhibere.

Quin & errores, & adſcenſus in ſomnis adparentes, gravia hæc denunciant. Fluviorum tranſitus, hoſtes armati, monſtra difformia, morbum aut furorem præſagiunt. His igitur conducit, qui talibus inſomniis detinentur, ut cibis paucis, levibus ac mollibus utantur, & vomitibus factis, ad dies quinque leniter cibos adhibeant. Laboribus quoque multis naturæ accommodatis utendum; præterquam a cœna. Balnea calida, deſidia, frigus & ſol, vitanda. Qui his, velut conſcripta ſunt, utetur, vitam ſanus deget. Atque hæc victus ratio, quantum homini conſequi licuit, Diis bene juvantibus, a me eſt inventa.

HIPPOCRATIS
DE ULCERIBUS
LIBER

PRÆFATIO.

NON videtur HIPPOCRATIS, *qui nimis multa, nimisque varia medicamenta contineat: in eo a libris muliebrium diverſus, quod doſes medicamentorum non addat. Placent aliqua monita contra abuſum oleoſorum & laxantium, de curandis partibus ulceri circumpoſitis. Medicamenta ipſa ſatis cum rerum natura conveniunt, eſt tamen quod arſenicum recipiat, & nigrum veratrum, & cantharides. Plantas aliquas breviter deſcribit.*

ULCERA univerſa, niſi vino, humectare non oportet, ſi non in articulo fuerit ulcus. Nam ſiccum ſano proprius eſt, & humidum non ſano. Eſt enim ulcus, humidum; quod vero ſanum eſt, ſiccum. Præſtat autem absque deligatione ſinere, præterquam quod cataplaſma imponitur, quamquam aliqua ulcera neque cataplaſma ferre poſſint, magis autem recentia quam vetuſtiora, & quæ ſunt in articulis. Modicus cibus, & aqua quammaxime omnibus ulceribus conducunt, & magis recen-

tioribus quam vetuſtioribus, & ſi quod aliud ulcus inflammatum eſt, aut inflammationem minatur, & ſi periculum eſt corruptionis, & ulceribus ac inflammationibus in articulis: & ubi convulſionem fieri periculum eſt: & vulneribus in ventre. Maxime vero omnium, fracturis in capite, ac femore, & ſi cui alii parti fractura contigerit.

Stare autem ulceri minime conducit, præſertim ſi quis in crure ulcus habeat, imo neque ſedere, neque ambulare. Verum otium, & quies maxime conferunt. At vero recentia ulcera omnia, tum ipſa, tum circumſitæ partes, minime inflammationem incurrent, ſi quis quamcitiſſime ſuppuret, & pus ab oſculo ulceris non interceptum ſupprimatur, aut ſi quis avertat, ut omnino non ſuppurentur, præterquam neceſſario, eoque pauciſſimo pure, & ſicca ſint, quammaxime ex medicamento non moleſto. Igneum enim fervorem hoc inducit, ubi horror, & pulſatio acceſſerit. Inflammantur enim ulcera tunc, quum ad ſuppurationem tendunt. Suppurantur autem alterato ſanguine ac calefacto, donec putrefactus talium ulcerum pus fiat. Quum vero cataplaſmate opus eſſe viſum fuerit, non ipſum ulcus cataplaſmate integere oportet, ſed circumſitas partes, quo pus decedat, & quæ indurata ſunt molleſcant. Cæterum ex ulceribus, ſi quod acuto ſpecillo inciſum, aut diſſectum fuerit, cruentis vulneribus aptum medicamentum ſuſcipit, & reſiccatorium quoddam, quod prohibet ſuppurationem.

Si qua caro ex telo contuſa, & diſſecta eſt, eam curare oportet, quo quam celerrime ſuppuretur. Nam & minus inflammatur, & neceſſe eſt carnes contuſas ac diſſectas putreſcere, ac pus

fieri, & eliquari, ac conſumi, & poſtea novas carnes naſci.

Omni recenti ulceri, præterquam in ventre, conducit frequenter ſanguinem defluere facere, prout opportunum eſſe viſum fuerit, & ab ipſis partibus ulcus complectentibus, tum alias, tum ſi in tibia ulcus fuerit, aut in digito pedis, aut manus, magis quam ſi alicubi in alia corporis parte. Sanguine enim defluente, gracileſcentia, ſicciora fiunt ac minora. Prohibet enim hoc maxime talia ulcera humectari. Deinde vero in omnibus putredo ſanguinis ex ſanguinis tranſmutatione fit. Confert autem poſt ſanguinis defluxionem in talibus ulceribus etiam ſpongiam deligare denſam, mollem, conciſam, ſicciorem quam humidiorem, aut ſuper ſpongiam ſuperne folia multa ponere.

At oleum, & quæcumque mollia, aut oleoſa ſunt medicamenta, talibus ulceribus non conducunt, ſi non valde jam ad ſanitatem tendant. Neque ulceribus ex recenti vulnere oleum conducit, neque mollientia, neque adipoſa medicamenta, tum alias, tum quod ulcus ampliore purgatione opus habet. Ut autem in ſumma dicam, oleo illitio facienda eſt, & in æſtate, & hyeme, in his, ad quæ talibus medicamentis opus habemus.

Depurgatio ventris deorſum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum eſt, & in his, quæ conſuta ſunt, & in exedentibus, ac ſerpentibus, & alias inveteratis ulceribus.

At ubi deligare voles, pharmaca non prius imponere oportet, quam ubi valde ſiccum feceris ulcus. Tunc vero adponere oportet, ulcus au-

tem ſæpe ſpongia detegere, & rurſus linteum ſiccum, ac purum ſæpe adhibere, atque ſic impoſito medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare.

Plerisque ulceribus tempus calidius commodius eſt hyeme, exceptis his, quæ in capite ſunt, ac ventre, magis vero æquinoctii tempus. Ulcera quæcumque probe, & prout oportet purgata ſunt, ſemper ad ſicciorem modum germinationem faciunt. Hæc autem plerumque carne non ſuperexcreſcunt. Si undecumque tandem os diſceſſerit, aut uſtum, aut ſectum, aut alio modo, horum ulcerum cicatrices caviores fiunt. Ulcera non purgata, non committi ſolent, etiamſi adducantur, neque ſua ſponte coeunt. Ubi circumſitæ ulceris partes inflammatæ ſunt, quamdiu durat inflammatio, ulcera coire non ſolent. Sed & ubi circumſitæ partes denigratæ fuerint, & ſanguinis putredine, aut etiam varice, influxionem ſanguinis exhibente, neque hæc coire ſolent, ſi non circumſitas ulceris partes ſanas feceris. Ex ulceribus rotunda ſi ſubcava fuerint, excidere oportet undiquaque in orbem ea, quæ diſceſſerunt, aut omnia, aut ex dimidio circuli, ſecundum longitudinem naturæ hominis.

In omni ulcere igne ſacro accedente, corpus purgationem facere oportet, in utram partem ulceri contulerit, ſive ſurſum, ſive deorſum. Cui tumor obortus fuerit circa ulcus, ulcere non inflammato, huic poſtea temporis progreſſu tumor puris ſubſidentiam habet.

Quodcumque ulcus ex inflammatione tumidum non ſedatur, dum alia, quæ ſimul inflammari, ac tumeſcere cœperunt, ſedantur, etiam hoc non coaleſcere periculum eſt. Quæcumque vero ex caſu, aut alio quopiam modo diſſecantur, & con-

tenduntur, & intumeſcunt, ita ut vicinæ circumcirca partes ſuppuratæ pus de tumoribus per ulcus egerant; in talibus quidquid cataplaſmate opus habere viſum fuerit, non ſuper ipſum ulcus cataplaſma ponere oportet, ſed ſuper circumſitas partes, quo pus decedat, & indurata molliantur. Poſtquam autem mollita fuerint, & inflammatio ſedata, ſpongiis ſuper ea, quæ abſceſſerunt, deligatis compeſcito, initio a ſana parte facto, atque ita procedendo. Superne vero ſuper ſpongiam folia ſint multa. Quum vero compeſci non poterit caro, quæ humida exiſtit, in cauſſa eſt, ut hanc ejicias.

Si ſub profunda carne ulcus fuerit, ex utrisque & ex deligatione, & ex eo quod inſuper compreſſit, hoc ſane incurvum ſubadtollitur, & ſi quis id ſecet ſpecillo, ſi fieri poterit, ad fluxionem accommodatum ab ore ulcus reſecare oportet, ubi commodum tempus eſſe viſum fuerit, atque ita curationem adhibere, qualicumque tandem indigere videbitur.

Plerumque vero in omni ulcere, quod ventrem habet, in directum ad viſum conſpicua ſunt omnia, tumore non præſente. Et ſi quidem in ipſo fuerit putredo, aut caro ſuberit humida, ac putrida, hoc ulcus & complectentes ulcus partes, adſpectu nigra ſublivida erunt. Et in exedentibus ulceribus, qua parte phagedæna adfuerit, vehementiſſimeque depaſcitur, ac edit, ea parte circumſita ulceris pars colorem habebit nigrum, ſublividum.

Cataplaſmata tumorum, & inflammationis in circumſitis partibus ſunt verbaſcum coctum, & trifolii folia cruda, & liguſtri folia cocta, & polium. Si vero etiam purgari opus habuerit ulcus, omnia quidem etiam hæc purgant. Sed & fici,

& oleæ folia, & marrubium. Coquere autem oportet hæc omnia, & maxime viticem, & fici ac oleæ folia, & mali punicæ folia ſimiliter coquere oportet. Crudis vero his utendum eſt. Malvæ folia terito cum vino, & rutæ folia, & origani viridis. Omnibus his lini ſemen torrefactum, ac tuſum quamleviſſime, admiſcere oportet. Ubi vero periculum eſt, ignem ſacrum in ulceribus oboriturum eſſe, iſatidis folia trita cruda cum lini ſemine imponito, aut lini ſemen ſolani, aut iſatidis ſucco ſubactum.

Quum autem ulcus purum quidem fuerit, verum inflammatum eſt, & ulcus, & circumſitæ itidem inflammatæ partes, lentem vino coctam, ac leviter tritam, oleo modico ſubactam imponito, ac deligato, & rubi canini folia in aqua cocta, leviter trita imponito, linteo tenui ſubextento, puro, vinoque, ac oleo madefacto. Et ubi committere, ac coaleſcere ulcus voles, rubi canini folia velut lentem præparato. Naſturtium item ſauridion a lacerti ſimilitudine appellatum, vinum, & lini ſemen tenuiter tritum commiſcentur. Et hæc, lini ſemen, & vitex crudus, & alumen melium; hæc aceto ſubacta. Uvam albam immaturam per colum in vas æris rubri expreſſam, per dies ad ſolem exponito, noctu autem tollito, ne irroretur. Per dies vero indeſinenter terito, ut æqualiter ſiccetur, & de æneo vaſe quamplurimum adſumat. Tanto autem tempore ad ſolem exponere oportet, donec ad mellis craſſitudinem devenerit. Poſtea & hunc ſuccum, & mel quamoptimum, & vinum dulce in æneam ollam infundito, ita tamen, ut prius reſinam terebinthinam in vino coquas, donec dura fiat inſtar mellis cocti, & poſtea reſinam eximas, & vinum adfundas. Sit autem plurimus uvæ imma-

turæ ſuccus. Secundo loco vinum. Tertio mel. Myrrham etiam ſtacten quamoptimam, leviter tritam, eodem vino paullatim adfuſo diluito, & poſtea ipſam per ſeipſam cum vino ſæpe agitando coquito, & ubi ad bonam craſſitudinem deveniſſe videbitur, ad uvæ immaturæ ſuccum adfundito, & nitrum optimum torrefactum ſenſim ad pharmacum admiſceto, & floris æris minus, quam nitri. Hæc poſtquam miſcueris, coquito non minus tribus diebus, lignis ficulneis non multis ſuccenſis, aut prunis, ne torreatur; & ubi hoc pharmacum illinitur, omnia, quæ imponuntur, ſicca ſint, & ulcera non humectentur. Utendum autem eſt hoc pharmaco ad ulcerata inveterata, ac recentia, & ad pudendi, & capitis, ac aurium ulcera.

Aliud ad eadem ulcera. Fel bubulum ſiccum, mel quamoptimum, vinum album, in quo cocta ſint loti ramenta, thus, myrrha æqualis, crocus æqualis, flos æris ſimiliter. Ex liquidis autem vinum ſit plurimum, deinde mel, pauciſſimum vero fel.

Aliud. Vinum, mel, oleum cedrinum. Sicca vero ſint flos æris, myrrha, malicorium ſiccum.

Aliud. Flos æris toſtus dimidia parte, myrrhæ duæ partes dimidiæ, croci partes tres, mel modicum, cum vino hæc torrentur.

Aliud. Thuris pars, gallæ pars, croci tres. Hæc ſingula ſicca quam leviſſime terito, deinde mixta ad ſolem calidiſſimum, adfuſo uvæ immaturæ ſucco, donec viſcoſa fiant, per tres dies terito, poſtea vino auſtero, nigro, odorato paulatim adfuſo, diluito.

Aliud. In vino dulci albo ilicis radices coquito, & ubi probe habere viſum fuerit, de vino defuſo duas partes ſumito, & amurcæ olei quamſicciſ-

ſimæ partem unam. Poſtea agitando coquito, ne torreſiant, lento igne, donec ad bonam craſſitudinem deveniant.

Aliud. Reliqua quidem eadem ſint. Verum pro vino, acetum ſit album, acerrimum, in quo tinctæ ſint ſuccidæ lanæ. Poſtea admixta amurca coquito, & ſuccum caprifici adfundito, & alumen melium, & nitrum, ac æris florem, utraque toſta admiſceto. Hoc magis priore ulcera purgat. Verum prius non minus reſiccat.

Aliud. Lanas ſuccidas pauciſſima aqua tingito, deinde vini tertiam partem ad aquam miſceto, ac coquito, donec bona provenerit craſſitudo. Ex his recentia vulnera quamcitiſſime ſuppurari poſſunt.

Aliud. Aron ſiccum inſpergito, ac adaptato.

Aliud. Fici, dum ſucculenta eſt, corticem viridem, in vino tritum immittito: & ſine vino, ipſum etiam cum melle.

Aliud. Ad acetum, in quo cocta ſunt loti ramenta: ſit autem album: amurcam olivarum, & picis ſerum crudum admiſceto, & illinito, & inſtillato, & deligato ſicca. Hoc recentia vulnera avertit, ne ſuppurentur: aut aceto abluito, & vino imbuta ſpongia extergito.

Aliud. Plumbum tritum cum ſpodio cyprio levigatum inſpergito. Et loti ramenta inſpergito, & ſquamam æris, & chalcitidem cum ære, & ſolam per ſe, & cum loti ramentis. Et alias, ubi ſiccis opus fuerit, talibus utendum eſt, & ſpodio Illyrico trito cum ramentis, & ipſis ſolis ramentis, & flore argenti ſolo, quamleviſſime trito, & ariſtolochiam raſam, ac tritam leviter, inſpergito.

Aliud ad cruenta vulnera. Myrrha, thus, galla, ærugo, flos æris toſtus, alumen Ægyptium toſtum, œnanthe, lanarum ſordes, plumbago,

horum ſingulorum æquale pondus diluitur cum vino velut ſuperius, & reliqua præparatio fit eodem modo.

Aliud. Acetum quamacerrimum album, mel, alumen Ægyptium, nitrum optimum leviter toſtum, fellis parum, ſimul coquito. Hoc carnem ſuperexcreſcentem conſumit, & cavat, & non mordet.

Aliud. Herba eſt parvis foliis prædita, cui nomen eſt Parthenium microphyllum. Hæc verrucas de pudendo aufert: & chalcitis ex inſula Melo cruda, & elaterium tenue ſiccum adſtringit, & malicorium tenue ſiccum eodem modo. Maxime autem replet cava, pura, herba Lagopyrus nomine: eſt autem tritico ſimilis ubi areſcit, folio parvo velut olea, ſed longiore: & marrubii folium cum oleæ foliis.

Aliud. Caricæ ſicciſſimæ internam partem pinguem, mellis ſpeciem referentem duabus portionibus, cum ſeminis lini toſti non admodum, ac triti quamtenuiſſime parte una.

Aliud. Caricæ partem internam, & florem æris tenuem modicum, & fici ſuccum.

Aliud. Caricæ partem internam, chamæleonem nigrum, bubulum fel ſiccum.

Aliud. Reliqua quidem eadem ſint. Verum ſicca, naſturtium tenue crudum, irio, utrumque pari pondere; caricæ vero partes duæ ſint, & ſeminis lini partes duæ, cum fici ſucco.

Quum autem aliquo horum pharmacorum uteris, ſplenia aceto imbuta ſuperne imponito, & ſpongia ſuper ſplenia impoſita deligato, & paullo magis adprimito. Si vero circumſitæ partes inflammatæ fuerint, quidquid conferre viſum fuerit, circumponito. Si liquido uti voles, etiam caricum pharmacum illinito, & velut ſupra ſcri-

ptum eſt, deligato eodem modo. Eſt autem ex his pharmacum factum veratro nigro, ſandaracha, ſquama æris, plumbo uſto, cum multo ſulphure, auripigmento, cantharide. Ex his, prout viſum fuerit, componito, ac utitor. Diluuntur oleo cedrino. Poſtquam vero ſatis fuerit illitum, pharmacum ejicito, & aron coctum, tritum imponito; aut ſiccum, tritum, oleo ſubactum. Et ſi ſicco carico uti voles, liquida removere oportet, & pharmacum inſpergere. Facit autem ſiccum ex veratro ſolo conſtans, ac ſandaracha.

Aliud liquidum. Herba eſt, cujus folium ſimile eſt aro natura, verum album, lanuginoſum, ad hederæ folii magnitudinem. Hæc herba cum vino imponitur. Aut ilicis partem eam, quæ eſt circum truncum, cum vino tritam imponito.

Aliud. Uvæ immaturæ ſuccus, acetum acerrimum, flos æris, nitrum, ſuccus caprifici. Ad uvæ immaturæ ſuccum alumen injicito tenuiſſime tritum, & in vas æris rubri immiſſum ad ſolem exponito; ac agitato, & ubi ad bonam ſpiſſitudinem devenerit, tollito.

Sicca ad cruenta vulnera hæc faciunt. Veratrum nigrum tenuiſſime tritum inſpergitur, quamdiu aliquid humoris inerit, ac depaſcentis. Deligatio vero eadem eſt, quæ in emplaſtris.

Aliud. Salis grana ſicciſſima in æneam ollam, aut fictilem novam immittito, magnitudine maxime æqualia, non magna; & mel optimum dupla ſalis menſura, pro conjectura facta, ad ſalem adfundito, deinde ollam prunis imponito, & dum totum combuſtum fuerit, ſinito. Poſtea exterſo, ac expurgato per ſpongiam ulcere, inſpergito, & velut prius deligato, & paullo magis comprimito. Poſtridie vero qua parte non adhæſerit pharmacum, inſpergito, comprimito, ac deligato. Ubi

vero pharmacum diſcedere voles, acetum calidum adfundito, donec diſcedat, & rurſus eadem facito, ſi opus fuerit exterſione per ſpongiam facta.

Aliud ſiccum mordax. Miſy quam leviſſime tritum inſpergito in ea, quæ humida ſunt, ac putrida; & florem æris tenuem non penitus leviter tritum.

Aliud ſiccum ſimiliter mordax. Ubi ſpongia exterſiſti, lanas quammaxime ſuccidas in teſta exurito, face admota, donec totas combuſſeris: hoc pharmacum leviter tritum inſpergito, & eamdem deligationem adhibeto.

Aliud ſiccum ad eadem ulcera. Chamæleo niger, alumen fici ſucco ſubactum, ſubigito autem toſtum, & anchuſam miſceto.

Aliud. Anagallis, & alumen Ægyptium toſtum.

Aliud. Pulvillum inſperſilem Orchomenium inſpergito. Cæterum ad nomas proſerpendo depaſcentes alumen Ægyptium toſtum, itemque Melium facit. Verum nitro toſto inſperſo prius præparare, ac ſpongia extergere oportet. Facit & chalcitis toſta. Torrere autem oportet, donec flammæ ſpeciem induat.

Ad vetera ulcera in tibiis fientia, fiunt autem ſanguinolenta, & nigra, meliloti florem tritum, melle ſubactum, cataplaſmatis modo utere.

At vero ſupra nervos diſſectos, myrti ſylveſtris radices contuſas, ac cribratas, & oleo ſubactas deligato. Et herbam quinquefolium: eſt autem alba, & lanuginoſa, & altior a terra, quam nigrum quinquefolium: in oleo tritum deligato, & tertia die exſolvito. His autem medicamentis in hyeme potius, quam æſtate utendum eſt.

Medicamenta mollientia, quæ etiam cicatrices pulchras faciunt. Scillæ internam partem mucoſam terito, & reſinam de picea, cum recenti

adipe ſuillo, & oleo modico, reſinaque, ac ceruſa modica. Et adipem anſerinum, ac ſuillum recentem purum, & oleum modicum, & ſcillam, & ceram albiſſimam. Aut ſcillam, oleum album, reſinæ parum, ceram, adipem ſuillum veterem, ac recentem. Facit & oleum, & ærugo, & ſcilla, & reſina. Sint autem duæ partes veteris adipis ad recentem. De reliquis autem quantum opportunum eſſe viſum fuerit. Adipem recentem liquefactum in aliam ollam defundito, & plumbaginem leviſſime tritam, ac cribratam commiſceto, adcoquito, & primum agitato. Coquito autem, donec deſtillatum in terram congeletur, deinde tollito, ac reliquum diffundito, præter lapidem ſubſidentem; & reſinam injicito, ac agitato, & modicum oleum cedrinum, & quod prius diffuſum, ac ablatum fuit, admiſceto. Porro in omnibus mollibus, in quibus reſinam admiſces, ubi pharmacum ab igne abſtuleris, in calidum adhuc reſinam immittito, ac agitato.

Aliud. Adeps ſuillus vetus, & novus, & cera, & oleum: Sicca vero loti ramenta, thus, plumbago, thuris videlicet pars una, plumbaginis una, & ramentorum loti una. Sint autem adipis veteris partes duæ, ceræ una, & novi adipis una. Aut adipem ſolum veterem ſuillum, & cum ipſo adipem caprinum recentem quamminime cum membrana, ſed purgatum, parum terito, aut contundito, & oleum adfundito, & plumbum cum ſpodio inſpergito, & ramentorum loti dimidium.

Aliud. Adeps caprinus, ſpodium, chalcitis cærulea, oleum.

De Ambuſtis. Ilicis radices coquere oportet teneras. Quarum ſi cortex craſſiſſimus eſt, ac viridiſſimus, confectum in tenues partes, vino albo adfuſo, lento igne coquito, donec ad bonam craſſi-

craſſitudinem deveniat, ut illini poſſit. Poteſt & in aqua coqui eodem modo.

Aliud non mordax. Suillum adipem ſolum veterem liquefactum illinito. Superne vero ſcillæ radicem diſſectam imponito, ac deligato. Poſtridie vero foveto, ac perfundito, & adipem ſuillum veterem liquato, & ceram, ac oleum admiſceto, thus item, & loti ramenta, ac minium: hoc ubi illeveris, ari folia in vino, ac oleo cocta adponito, ac deligato.

Aliud. Poſtquam ſuillo adipe illeveris vetuſto, haſtulæ regiæ radices in vino coctas, ac tritas ſuperillinito.

Aliud. Adipem ſuillum veterem liquato, & reſinam, ac bitumen admiſceto, & hæc linteo illita, ad ignem calefacta, imponito, ac deligato. Quum in dorſo ex plagis, aut alias ulcus factum fuerit, ſcilla cocta, trita, ac linteo illita deligato. Poſtea vero adipem caprinum, & recentem ſuillum, & ſpodium, & oleum, & thus illinito.

Tumores in pedibus fientes, & ſponte, & non ſua ſponte, in quibus neque tumores, neque inflammatio a cataplaſmatibus ſedatur: & ſi quis ſpongias deliget, aut lanas, aut aliud quid ſuper ſanam partem, poſtea intumeſcunt ſua ſponte, ac inflammantur: influxio ſanguinis per venas in cauſſa eſt, ſi cui non contuſio cauſſa eſt. Et ſi alicubi alia in corporis parte tale quid fiat, eadem ratio eſt. Verum ſanguinem detrahere oportet de venis præſertim influentibus, ſi conſpicuæ fuerint. Sin minus, pertundere tumores oportet, profundioribus, ac frequentioribus vulnuſculis impactis. Sed & in aliis omnibus, quæ pertundis, ſic facere oportet, atque hoc acutiſſimis, ac tenuiſſimis ferramentis. Quum vero ſanguinem detrahis, ſpecillo ne valde premas, ne contuſio

accedat. Aceto autem perluito, & grumum ſanguinis in hiatibus ne relinquito; & illito cruentis vulneribus deſtinato medicamento, lanas ſuccidas, carminatas, molles deligato, vino & oleo reſperſas. Et pertuſam partem æger ita habeat, ut refluxus ſit ſanguinis, non defluxus; & omnino non humectet; & parum cibi capiat, & aquam bibat. Si vero ubi ſolveris, fiſſuras repereris inflammatas, cataplaſmata ex vitice, ac lini ſemine imponito. Si vero ulceratæ fuerint fiſſuræ, ac eruperint, ad rem reſpiciens, & quod opus fuerit adhibens, de cætero curato.

At ubi varix ineſt in tibia, aut conſpicuus, aut in carne, & tibia eſt nigra, & videtur opus habere ſanguine ab ipſa defluente; talia nequaquam pertundere oportet. Plerumque enim magna ulcera ex fiſſuris fiunt, propter varicis influxum. Verum varicem ipſum alias atque alias compungere oportet, ubi opportunum eſſe viſum fuerit.

Cæterum quum venam ſecueris, poſtquam ſanguinem dimiſeris, & faſciam ſolveris, & non ſiſtatur, in contrarium partem habeat, quo refluxus ſanguinis fiat, ſive manus fuerit, ſive crus, utpote ſanguine retro fluente, atque ita tempus longius, aut brevius decumbens expectet. Poſtea ipſum ſic habentem deligato, nullo grumo exſiſtente in fiſſura. Deinde ſplenium duplum vino imbutum adponito, & ſuper ipſum lanam puram oleo imbutam. Nam etiamſi influxus ſanguinis fuerit violentus, ſuppreſſio fit influentis. Et ſi grumo in fiſſura manente ſic inflammetur, ſuppuratur. Pranſum autem, & potum plus, aut minus venam ſecare ſinere oportet, & aliquantum calefactum, & die calidiore, quam frigidiore. Si vero influat ſanguis, cucurbitam adfigere oportet, & ſi ablata cucurbita, multum ſanguinis, aut

ſeroſus ſanguis fluat, cito priusquam repleatur rurſus adfigere, & quod reſtat extrahere. Sin minus, grumi in fiſſuris inhærent, & deinde ex ipſis inflammata ulcera fiunt. Aceto autem omnia talia perluere oportet, & poſtea non humectare, neque in fiſſuras decumbere. Verum aliquo medicamento cruentis vulneribus deſtinato fiſſuras illinere. Et quum infra genu, aut ad genu adfigere cucurbitas oportuerit, ſtanti erecto, ſi ſtare potuerit, adfigantur.

HIPPOCRATIS LIBER DE FISTULIS.

PRÆFATIO.

De fiſtula ani. Eam filo contorto jubet eradere, aut certe ſecare. Ad ani prolapſum adſtringentia medicamenta laudat. Monet, minus prolapſuram, ſi inter egerendum pedes extenderis. Ad pituitam & bilem cauſas morborum refert, ut in libro de mulierum morbis. Medicamentorum etiam ubertatem habet, & cnidia grana. Cum libro de hæmorrhoidibus denique continuum librum efficit. Pro genuino habet Foesius.

FISTULÆ fiunt quidem ex contuſionibus, & tuberculis, fiunt autem & ex remigatione, ac equitatione, quum in natibus congregatus fuerit ſanguis prope ſedem. Putreſcens enim di-

ſtribuitur ad molles partes, nimirum quum & inteſtinum rectum ſit humidum, & caro mollis, in quam diſtribuitur, donec tuberculum eruperit, & deorſum ad rectum inteſtinum computruerit. Poſtquam autem hoc factum fuerit, in fiſtulam abit, ac ſanie manat, & ſtercus per ipſam fluit, & flatus, & abominatio multa. Ex contuſionibus itaque fit fiſtula, ubi aliquis circa rectum inteſtinum locus contuſus fuerit ex plaga, aut ex caſu, aut vulnere, aut equitatione, aut remigatione, aut quæcumque talia ſunt. Congregatur enim ſanguis. Putreſcens autem ſuppuratur, a ſuppurato vero ea, quæ de tuberculis dicta ſunt, patitur. Primum igitur, quum tale quoddam tuberculum naſcens ſenſerit, crudum quamcitiſſime ſecare oportet, priusquam ſuppuretur, ad rectum inteſtinum.

Si vero jam ægrotantem ex fiſtula adſumſeris, allii caulem recentem accipe, & homine ſupino reclinato, diductis cruribus altero huc, altero illuc, caulem immitte, donec offendas ac impingas, & fiſtulæ profunditatem per caulem metire, & ſeſelis radicem tenuiſſime tritam, aqua adfuſa, ad dies quatuor macerato, eamque aquam trium cyathorum menſura, melle admixto, æger bibat jejunus. Cum hac etiam aſcaridas purgato. Quicumque vero relicti fuerint non curati, moriuntur. Poſtea linteum byſſinum tithymalli magni ſucco imbutum, flore æris toſto trito inſperſo, in penicilli figuram intorque, longitudine fiſtulæ æqualem, filo per ſummum penicillum tranſmiſſo, & rurſus per ſummum caulem; & homine ſupino reclinato, adhibito catoptere inſtrumento ſedem expandente, corroſam recti inteſtini partem inſpicito, & ſic caulem immittito: & ubi in inteſtinum inciderit, adprehenſum retrahito, do-

nec penicillus fuerit intruſus, & ſuperiori, ac inferiori parti adæquatus. Poſtquam vero fuerit intruſus, glandem corneam in inteſtinum indito, & podice ex terra cimolia oblito ſinito. Ubi vero ventrem exonerat, eximito, ac rurſus indito, donec ad quintum pervenerit diem. Sexta autem eximito, extrahens pernicillum ex carne, & alumen terito, eoque glandem expleto, & inteſtinum indito, ac ſinito, donec alumen liquidum fiat. Podicem vero myrrha illinito, donec coaluiſſe viſus fuerit.

Alia curatio. Crudum linum tenuiſſimum accipito, & ad palmi longitudinem quincuplicato, & pilum equinum circumdato. Deinde facto ſpecillo ſtanneo in ſumma parte perforato, & initio lini complicati in ſpecillum immiſſo, ſpecillum in fiſtulam demittito, & ſimul ſiniſtræ manus digitum indicem in ſedem indito. Ubi vero ſpecillum contigerit digitum, inflexa ſumma ſpecilli parte, initium lini, quod eſt in ſpecillo, per digitum adducito: & ſpecillum quidem rurſus extrahito, lini vero initia bis aut ter connectito, & reliquam lini partem intortam ad nexum deligato. Poſtea vero dimiſſum negotia ſua obire, jubeto. Cæterum quantum putreſcente fiſtula de lino laxatur, tantum augere oportet, ac intorquere ſemper ſingulis diebus. Si vero linum crudum computreſcat, priusquam fiſtula corrodatur, aliud linum ad pilum innecte, immitte, ac connecte. Pilus enim ea de cauſſa ad crudum linum additur, quod non putreſcit. Poſtquam vero fiſtula computruerit, ſpongiam mollem in tenuiſſima fruſta conciſam adponere oportet, deinde in fiſtulam quidem florem æris toſtum multum per ſpecillum immittere. Spongiam vero melle illi-

nere, & ſubjecto digito indice ſiniſtræ manus ultra protrudere, & adpoſitam alteram ſpongiam deligare, eodem modo velut in hæmorrhoidibus. Poſtridie vero exſolvere, & aqua calida abluere, & cum ſpongia per ſiniſtræ manus digitum fiſtulam purgare conari: & rurſus æris florem immittere, ac ſpongiam deligare. Atque hæc facere oportet per dies ſeptenos. In his enim maxime tunica fiſtulæ computreſcit, de cætero vero, donec ſanata fuerit, ſpongiam deligare. Nam dum per hunc modum fiſtula a ſpongia cogitur, ac explicatur, neque rurſus concidere poterit, neque alia ipſius pars ſanabitur, alia vero rurſus complebitur, ſed in ſeipſa tota ſana erit. Verum in hac curatione multa aqua calida proluere oportet, & fame macerare. Si vero non corroſa fuerit fiſtula, ſpecillo immiſſo, ſecato, donec diduxeris, & æris florem inſpergito, & ad dies quinque ſinito. Deinde aquam calidam adfundito, & polentam aqua ſubactam ſuperimponito, & betarum folia deligato. Ubi vero exciderit æris flos, & fiſtulæ ulcus purum fuerit, velut priorem curato. Si vero in loco ſit, ubi fieri id non poſſit, & profunda etiam ſit fiſtula, flore æris, & myrrha, & nitro in urina dilutis colluito: & in fiſtulæ oſculum plumbeam glandem indito, ne coaleſcat. Collutio vero facienda eſt, pennæ fiſtula ad veſicam adligata, & fiſtula intro immiſſa, atque ſic collutione infuſa. Verum ſanus non fit, ſi non ſecetur.

Si inteſtinum rectum inflammatum fuerit, & dolor habeat, & febris, & frequenter ad exonerandam alvum deſideat, & nihil egerat, & præ inflammatione ſedes exiiſſe videatur, & aliquando urinæ ſtillicidium corripiat; hic morbus fit, quum pituita ex corpore ad inteſtinum rectum decubue-

rit. Conferunt autem calida. Quum enim hæc adhibentur, pituitam adtenuare, ac conſumere poſſunt, & ſimul acrimonia ſua ſalſam pituitam aquoſam reddere, ut non ſit ardor, neque morſus aliquis in inteſtino. Curare itaque oportet hoc modo. Ægrum in calidam aquam collocato, & trita grani cnidii grana ſexaginta in vini hemina dimidia diluito, tepefacito, & infundito. Hæc & pituitam educunt, & ſtercus. Si vero in aqua non ſedet, ova cocta in vino nigro odorato ad ſedem adponito, calido quopiam inferne ſubſtrato, aut veſica aqua calida plena. Aut lini ſemen toſtum, molitum, tritum, pari farina, in vino nigro odorato, & oleo admixta, cataplaſmatis modo calidiſſime imponito. Aut hordeum, & alumen Ægyptium tritum miſceto, & glandem oblongam efformato, & ad ignem tepefaciens digitis effingito, deinde ſumme tepidam effectam in ſedem indito. Forinſecus autem cerato oblinito, & allium in vino nigro diluto coctum pro cataplaſmate imponito. Poſtquam vero exemeris, in aquam calidam collocato: & ſolani ſuccum, & anſerinum ac ſuillum adipem, & chryſocollam, & reſinam, & ceram albam commiſceto, ſimulque liquefacito, & cum his illinito, & quamdiu inflammatio duraverit, allium coctum ut cataplaſma adhibeto. Et ſi quidem ad hæc a dolore liberetur, ſatis fit; ſin minus, bibat peplum, meconium album appellatum, aut aliud quoddam, quod pituitam purgat. Et quamdiu durat inflammatio, eduliis levibus nutriatur.

Urinæ ſtillicidium ex his incidit. Veſica ex inteſtino recto caleſcens, caliditate pituitam adducit, a pituita vero urinæ ſtillicidium fit. Si quidem igitur una cum morbo ſedetur, ſolet enim

plerumque ita fieri, ſatis eſt; ſin minus, medicamenta ad urinæ ſtillicidium deſtinata exhibeto.

Si vero ſedes elabatur, fomento per mollem ſpongiam adhibito, & cochleæ muco illito, e manibus deligatum ſuſpendito ad modicum tempus, & redibit. Si vero amplius excidat, & non maneat intus, laterum mollitudines præcingito, & retrorſum faſciam ex cingulo ſubmittito, & ubi ſedem intro protruſiſti, ſpongiam mollem aqua calida, in qua loti ramenta cocta ſunt, imbutam imponito. Sed & de aqua ipſa ad ſedem adfundito, ſpongiam vero exprimito, deinde faſciam per media crura ſubextentam, circa umbilicum deligato. Ubi vero alvum exonerare volet, inter tabulas anguſtiſſimas inſidens id faciat. Si vero puer fuerit, intra mulieris pedes ad genua adclinatus. Dum autem ventrem exonerat, crura extendat. Sic enim minime ſedes exciderit.

At ſi inteſtinum rectum humidum fiat, & ſanies defluat, fece vini uſta, & aqua ex myrti decocto abluito, & adiantum ſiccum, tuſum, cribratum inſpergito. Si vero ſanguis profluat, ablutione ex iisdem facta chalcitidem, & cupreſſi, aut cedri, aut pini, aut terebinthi ramenta inſpergito, pari menſura de his ad chalcitidem admixta. Forinſecus autem ceratum craſſum oblinito.

Quum ſedes, ſive rectum inteſtinum exciderit, & in loco ſuo manere noluerit, ſilphium optimum, ac denſiſſimum deraſum tenue inſpergito, ſternutatorium medicamentum ad nares adponito, & hominem ad iram exacerbato. Aut ubi aqua calida abluiſti, malicorium, & alumen, in vino albo trita, ad ſedem adfundito, deinde panniculos adponito, & femora per dies tres colligato, & jejunet. Vinum autem bibat dulce. Si vero neque ſic retro cedat, minium mixtum cum melle illinat.

Inteſtinum rectum ſi procidat, & ſanguis profluat, de ari radice detractum corticem in aqua coquito, deinde tritum farina admixta calidum imponito.

Aliud. Vitis ſylveſtris, quam aliqui pſilothrion vocant, radices tenerrimas deraſas in vino nigro meraco auſtero coquito, deinde tritas tepide imponito. Sed & farinam admiſceto, & in vino albo, ac oleo ſubigito, & tepide imponito.

Aliud. Cicutæ ſemen vino albo odorato inſtillato terito, deinde tepide imponito. Si vero inflammatum fuerit, hederæ radicem in aqua coctam, leviter tritam, admixta farina optima, in vino albo ſubactam imponito, & oleum ad hæc admiſceto.

Aliud. Mandragoræ radicem maxime viridem, ſin minus, ſiccam: viridem itaque lotam, ac conciſam, in vino diluto coquito, ac imponito: ſiccam vero tritam ſimiliter imponito.

Aliud. Cucumeris peponis internam partem leviter tritam imponito. Si vero dolor fiat, & inflammatum non ſit, nitrum rubrum aſſato, ac leviter terito, & alumen ac ſalem torreto, ac leviter terito, pari menſura ſingula miſceto, deinde ad picem optimam admiſceto, & linteo illita adponito, ac deligato.

Aliud. Capparis folia viridia trita, in marſupium conjecta, adalligato; & ubi urere tibi videbitur, auferto, ac rurſus adponito. Si vero folia non adfuerint, corticem radicis capparis contuſum, vino nigro ſubactum, eodem modo adligato. Hoc etiam ad ſplenis dolorem bonum eſt. Ex his cataplaſmatibus, quæ quidem frigefaciunt, fluere prohibent; quæ vero molliunt, ac calefaciunt, diffundunt; quæ in ſeſe trahunt, ſiccant, & adte-

nuant. Porro hic morbus ſit, quum bilis & pituita ad hos locos decubuerit. At recto inteſtino inflammato, medicamento, in quo reſina, & oleum, & cera, & plumbago, & adeps calidiſſimus commiſcentur, illinere oportet.

HIPPOCRATIS DE HÆMORRHOIDIBUS LIBER.

PRÆFATIO.

ETSI ſpurius, non ideo malus libellus. Non poteſt eſſe auctoris aphoriſmorum, hæmorrhoides enim, quarum iſte unam apertam jubet ſervare, noſter omnes curat. Theoria etiam eſt a bile & a pituita. Varias curationes adhibet, ipſam uſtionem, tum acria medicamenta.

HÆMORRHOIDUM morbus hoc modo fit. Quum bilis, aut pituita ad venas recti inteſtini decubuerit, ſanguinem, qui in venis eſt, calefacit. Caleſcentes autem venæ ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt; & ubi replentur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarum ſupereminent, & partim dum a ſtercore exeunte comprimuntur, partim dum a coacervato ſanguine coguntur, ſanguinem eja-

culantur : atque hoc maxime quidem una cum ſtercore, aliquando vero etiam ſine ſtercore.

Curare autem oportet hoc modo. Primum equidem noſſe oportet in quo loco ſint hæmorrhoides. Rectum enim inteſtinum & ſecans, & reſecans, & conſuens, & urens, & putrefaciens, etiamſi graviſſima hæc eſſe videantur, nihil læſeris. Jubeo autem præparari ferramenta ſeptem, aut octo, magnitudine palmi, craſſitudine ſpecilli craſſi, ex ſumma parte reflexa ac lata velut in obolo parvo. Et ubi priore die purgatorio medicamento purgaſti, ea qua rem aggrederis urito, & homine ſupino reclinato, & pulvinari ſub lumbos ſubjecto, ſedem quammaxime per digitos foras extrahito, ferramentaque candentia facito, ac urito, donec reſiccaveris, & hoc ita ne contingas. Urere enim oportet, & nullam hæmorrhoidem ſine uſtione ſinere, ſed omnes exurere.

Cognoſces autem hæmorrhoidas non difficulter. Supereminent enim in internam recti inteſtini partem, velut uvæ acini, lividæ, & ſimul ut ſedes extrahitur, ſanguinem ejaculantur. Detineant autem aliqui ipſius ægri caput & manus, dum uritur, ne moveantur : & dum uritur vociferetur, ſedes enim magis inde eminet. Poſtquam vero uſſeris, lentes ac ervum coquito, & ex aqua trita imponito, ad quinque aut ſex dies. Septima vero die ſpongiam mollem in tenuiſſima fruſta concidito. Sit autem latitudo ſpongiæ undiquaque ſex digitorum, deinde ſuper ſpongiam linteum tenue, ac leve, ſpongiæ æquale, melle illitum imponito, & poſtea ſubjecto digito indice ſiniſtræ manus, mediam ſpongiam in ſedem quampenitiſſime protrudito, deinde ſupra ſpongiam lanam adponito, quo in ſede quieta permaneat. Et laterum mollitudines præcingito, & retrorſum

faſciam ex cingulo ſubmittito, quam per media crura receptam, ad cingulum circa umbilicum deligato. At pharmacum de quo dixi, ad denſam ac robuſtam carnem faciendam, ac producendam deligatur, & non minus, quam viginti diebus hæc deligare oportet. Sorbenda autem eſt ſemel in die farina, aut milium, aut furfurum decoctum, & aqua bibenda. Si vero ad alvum exonerandam deſideat, aqua calida proluito, & tertio quoque die lavet.

Alia curatio. Extractam quammaxime ſedem, aqua calida perfundito, deinde ſummas hæmorrhoidum partes præſecato. Pharmacum autem ad ſectionem præparatum ſit hoc. In æneum vas mingito, & in urinam, æris florem toſtum, tritum, levem inſpergito, deinde diluito, ac vas agitato, & in ſole ſiccato. Ubi vero ſiccatum fuerit, eradito, terito, & levigatum ad anum adponito, & ſplenia oleo imbuta addito, ac ſpongiam ſupra deligato.

Alius modus. Adnaſcitur ad venam ſanguifluam extuberantem, velut mori fructus, & ſi quidem valde extra fuerit extuberantia, carnis tectorium circum ipſam naſcitur. Hominem igitur flexis genibus in duo mortaria ſive exciſos lapides locato, ac videto. Comperiens enim inflatas partes inter nates circa ſedem, ſanguinem vero intrinſecus procedere. Si itaque mollis ſit, & ſub tectorio cedat extuberantia, digito ipſam auferre oportet. Nihilo enim plus difficultatis hæc res habet, quam ſi quis dum ovicula excoriatur, digitum inter cutem, ac carnem adigat. Atque hæc interim dum loqueris, ægro non animadvertente facito. Poſtquam autem extuberantiam abſtuleris, neceſſe eſt ſanguinis curſus ex tota detractione promanare. Itaque vino auſtero,

in quo gallæ maceratæ ſunt, cito abluere oportet: & vena ſanguiflua una cum extuberantia peribit, & tectorium ſedabitur, & quanto vetuſtior adfectio fuerit, tanto facilior ſanatio erit.

Si vero penitius intus delituerit extuberantia, per catopterem inſpicito, & ne a catoptere decipiaris videto. Dum enim aperitur, extuberantiam explanat; dum vero rurſus contrahitur, recte oſtendit. Auferre autem oportet, veratro nigro in anum ſublito, deinde tertia die auferre, ac vino auſtero infuſo colluere.

Cæterum quod ſanguis non fluit, quum abſtuleris extuberantiam, mirari non oportet. Neque enim ſi in articulis diſſeces manus aut crura, ſanguis profluet. Si vero ſupra aut infra articulos ſecueris, cavas ac ſanguifluas venas comperies: & difficile fuerit, ut expedite ſiſtas. Sic etiam hæmorrhoidem in ſede, ſi ſupra aut infra extuberantiæ detractionem ſeces, ſanguis profluet. Si vero ipſam extuberantiam in connexu abſtuleris, non profluet. Si quidem igitur ita ſedatur, bene habet. Sin minus, urito, cavendo ne contingas ferro, ſed prope admotis ferramentis reſiccato, & florem æris ex urina adponito.

Alius modus curationis hæmorrhoidum. Clyſterem facere oportet, velut arundinem ſepiariam, phragmiten appellatam, & in ipſum ferramentum probe congruum adaptare. Deinde indita in ſedem clyſteris fiſtula, ferramentum candens immittere, ac frequenter eximere, quo magis calefieri ſuſtineat, & neque ulcus ex calore habeat, & venæ reſiccatæ ſanæ fiant. At vero ſi neque urere, neque reſecare voles, ubi multa calida aqua proluiſti, & ſedem everſam extraxiſti, myrrham tritam, levigatam, & gallam, & alumen Ægyptium uſtum, una & dimidia ad reliqua parte,

& melanteriæ tantumdem accipe, atque ſiccis his utere. Hæmorrhois enim ab his medicamentis decedet, velut corium combuſtum. Hæc facito, donec omnes exſtirpaveris. Et dimidia chalcitidis uſtæ pars idem efficit.

Si vero glandulis ſanare voles, ſepiæ teſtam, plumbaginis tertiam partem, bitumen, alumen, florem æris modicum, gallam, æruginem modicam commiſceto & mel coctum adfundito, & formatam ex his glandem oblongiorem adponito, donec exſtirpaveris.

Muliebrem hæmorrhoidem hoc modo curato. Multa calida aqua proluito. In aqua vero odorata, velut eſt myrica trita coquito. Deinde ſpumam argenti toſtam, & gallam miſceto, & vinum album, & oleum, & anſeris adipem adfundito, omniaque ſimul trita, poſt factam prolutionem, illinenda dato. Proluere vero oportet, ſede quammaxime extracta.

HIPPOCRATI

ADSCRIPTA

OPERA SPURIA.

DE VETERI MEDICINA LIBER.

PRÆFATIO.

Spurium Mercurialis recte vocat, qui ſatis manifeſto poſt Aristotelis *tempora prodierit: ipſius enim viri principia utique impugnantur. Deinde totus eſt in ratiociniis, acute utique & docte ſcriptus. Medicinæ originem ſatis probabiliter tradit: imperitos nempe mortales inſalubribus cibis uſos ægrotaſſe, etiam periiſſe. Ad eos eventus animum adtendiſſe, vitaſſe noxios cibos, juſtam præparationem adhibuiſſe: ſed ab experientia edoctos, non eosdem cibos ſanis hominibus convenire & ægris, edidiciſſe, aliis ægris farina miſtam aquam, aliis ſorbitiones, aliis potum ſolum convenire. Sed etiam farinam aliis nocere, repletionem aliis, adeoque cuivis mortali propriam victus rationem conſone. Ita veterem medicinam natam eſſe ab eorum adnotatione qua minus nocerent, imperfectam hactenus, neque tamen ſua laude fraudandam.*

Inde quatuor primas qualitates confutat, calidum, humidum, frigidum & ſiccum. Hypotheſi artem non egere. Absque iſtis morbos naſci, neque redire, ſi eorum contrariis volueris morbos tollere. Multo plus valere ad morbos, eorumque ſanationem, humorem acidum, ſalſum, acerbum, amarum, ſecretos, iterum commiſtos. Morbos fieri ex humo-

rum mutatione, declinatione dulcis in amarum, vel acidum, tum a figuris; a figura conica convergenti uteri fieri, ut trahat ex ventre humores, ut flatibus repleatur; a polita & molli hepatis ſuperficie eſſe, quod a flatibus lædatur & inflammetur.

ARGUMENTUM LIBRI.

De artis Medicæ antiquitate, inventione, certitudine, ac præſtantia; de victus ratione quædam in genere, tum in ſpecie de ſorbitione, potu, pane, ac vino, de qualitatibus primis, ac ſecundis, ac poſtremo, de fluxionibus, humoribus, flatibus nonnulla.

CAPUT I.

Medicinam exſiſtere, principiorum hypotheſis, artis opifices, inventa, obſervationes, uſus communis, & adfectiones comprobant.

QUICUNQUE de medicina dicere aut ſcribere adgreſſi, dicendi ſcopum ſibi ipſis, ac fundamentum ſuppoſuerunt, calidum aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, aut aliquid quodcunque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium cauſſæ, tum morborum, tum mortis hominibus omnibus idem, unum aut duo proponentes: hi in multis quidem quæ dicunt, manifeſto erraſſe deprehenduntur. Juſtior autem querela eſt de arte præſenti, qua omnes in maximis utuntur, & bonos artifices

maxime colunt. Sunt autem opifices alii viles, alii longe præſtantes: quod ſane, ſi non eſſet omnino medicinæ ars, neque in ipſa obſervationes eſſent, neque quidquam inventorum, non utique exſtaret: ſed omnes æqualiter ejus ignari & inexperti eſſent, & per fortunam omnes ægrotorum res gubernarentur. Nunc vero res non ſic ſe habet, ſed quemadmodum aliarum omnium artium opifices multum inter ſe differunt, tum manu, tum mente, ſic etiam in medicina. Quapropter non cenſeo ego ipſam inani fundamento indigere, velut obſcura & dubia; de quibus ſi quis dicere conetur, eum neceſſe eſt fundamento uti. Velut ſi quis de ſublimibus in aere rebus, aut de ſubterraneis dicat, & quomodo habeant, ſciat; tamen neque dicenti, neque audientibus manifeſtum ſatis fuerit, verane ſint, an ſecus. Neque enim eſt ad quod quis ſe conferat, cuique innitatur, ut veritatem cognoſcat.

Medicina autem jam ab antiquo exſiſtit, & principium & via inventa, per quam inventa, & multa & probe habentia comperta ſunt, per multum adeo tempus & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat. Quicunque vero his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia via aliaque forma inquirere conatur, & quid inveniſſe gloriatur, falſus eſt & fallitur. Impoſſibile enim id eſt. Verum ob quas neceſſitates impoſſibile ſit, ego demonſtrare conabor, docens ac demonſtrans artem exſiſtere, ex hoc autem palam fiet, impoſſibile eſſe aliquo alio modo inveniri.

Videtur autem mihi maxime, de hac arte dicturum oportere vulgo ac plebeis hominibus nota dicere. Neque enim de alio quopiam, neque

quærere, neque dicere convenit, quam de adfectionibus ex quibus illi ipſi ægrotant. Ipſos quidem igitur ſuas ipſorum adfectiones condiſcere, quomodo fiunt ac deſinunt, & quibus occaſionibus augeſcunt, ac deficiunt, quum idiotæ ſint, non eſt facile: verum ab alio inventas ac proditas, proclive. Nihil enim aliud quisque recordatur, quam quæ ſibi ipſi accidiſſe audit. Si quis autem idiotarum ſententia deſtituetur, & audientes non adficiet, ille etiam veritatis compos non fiet, & propterea neque fundamento, neque ſcopo opus habet.

CAPUT II.

Inventa alimenta naturæ ac adfectui idonea, Medicinam exſiſtere ac neceſſariam eſſe declarant.

ETENIM ars medica, neque inventa ab initio fuiſſet, neque quæſita. Nihil enim ea opus erat ægrotis hominibus, ſi eadem diæta uterentur, & adſumerent, quæ ſani edunt, ac bibunt, imo etiam alterius cujusdam diætæ uſus eis profuiſſet, ſi non alia fuiſſent his meliora.

Nunc autem ipſa neceſſitas homines coegit Medicinam inquirere, ac invenire. Quoniam ægrotis eadem in cibo adſumentibus, quæ ſani ſolent, non fuit utile, velut neque nunc utile exſiſtit. Ut autem ego opinor, neque ipſa ſanorum diæta, ac alimonia, qua nunc utuntur, inventa fuiſſet, ſi ſuffeciſſet homini idem cibus ac potus, qui bovi ac equo, & omnibus aliis præter hominem, veluti ſunt ex terra naſcentia, fructusque ac herbæ & fœnum. Ex his enim nutriuntur, & augeſcunt, & illæſi degunt, non

indigentes alia diæta. Quamquam ego ſane ab initio etiam hominem tali victu uſum eſſe putem.

Quæ vero nunc inventa ſunt edulia, multa arte excogitata, & multo tempore producta eſſe mihi videntur, quum multa & gravia ex robuſto ac ferino victu homines paterentur, qui intemperatus, & magnas vires habens ingerebatur, qualia ſane etiam nunc ex ipſo paterentur, doloribus vehementibus, & morbis obnoxii, & brevi etiam morti. Veriſimile eſt autem hæc mala tunc minus perpeſſos ipſos fuiſſe, propter conſuetudinem: quamvis tunc quidem graviter laborarint, & plurimos quidem imbecilliore natura præditos interiiſſe: eos vero qui viribus præſtarent, diutius exſtitiſſe: non ſecus ac hoc tempore, quidam ex valentibus cibariis facile, alii non niſi cum multis doloribus & moleſtiis vindicantur. Ob hanc itaque neceſſitatem etiam illi mihi videntur quæſiviſſe victum naturæ convenientem, & inveniſſe hunc, quo nunc utimur. Ex tritico igitur macerato, & a cortice purgato, molitoque ac cribrato, & ſubacto ac aſſato, panem fecerunt. Ex hordeo vero mazam, aliaque multa ex hoc excogitantes, coxerunt, & aſſarunt, & miſcuerunt, fortiaque & intemperata debilioribus temperarunt, effingentes omnia juxta hominis naturam ac vires, quæ quidem fortiora eſſent, ab ipſa natura non poſſe ſuperari, ſi ingeſta eſſent, exiſtimantes: ab his ipſis quoque dolores, & morbos ac mortes oriri judicantes: contra ab his, quæ natura domare poſſet, alimentum & augmentum & ſanitatem. Porro invento huic quodnam juſtius, aut magis conveniens nomen quis impoſuerit quam Medicinæ? quandoquidem ad hominis ſanitatem alimentumque ac ſalutem inventa

eſt permutatio illius victus, & quo dolores & morbi fiunt.

CAPUT III.

De victu ſanorum, & ægrorum; robuſti, ac imbecillis; de victu pleni, tenui, & exquiſito; de aridi & liquidi ut ſorbitionum & potionum inventione, & uſu; unde Medica ars, ejusque artifex, & Medicus.

SI vero ars ipſa eſſe non putatur, nihil abſurdi eſt. Nam cujus nemo ignarus eſt, ſed ſcientes omnes, ob uſum & neceſſitatem, ejus non convenit aliquem artificem appellari. Atqui inventum ipſum & magnum & multæ artis, ac conſiderationis exſiſtit. Quin etiam in hunc usque diem exercitiorum, & reparandarum virium curam gerentes, ſemper aliquid amplius adinveniunt, juxta eandem viam inveſtigantes, quod quis edens, ac bibens maxime ſuperet ac ſeipſo fortior evadat.

Conſideremus itaque & confeſſam ab omnibus medicinam, eam videlicet, quæ propter ægros inventa eſt, num & nomen & artifices habeat, & ipſa dominari ipſis velit, & undenam initium traxerit. Mihi equidem, velut in principio dixi, nemo ne quæſiviſſe quidem medicinam videtur, ſi idem victus, & ægrotis, & ſanis conveniſſet. Itaque in hunc usque diem hi, qui medicina non utuntur, barbari, ac græcis confines, eodem modo quo ſani victitant ad voluptatem, & a nulla re quam concupiſcunt, abſtinent, neque quidquam devitant.

Cæterum qui medicinam quæſiverunt, ac invenerunt, eandem cum illis, de quibus ſuperiori

ſermone dictum eſt, ſententiam habuerunt, & primum quidem ex his ipſis cibis copiam detraxerunt, & pro multis paucos ſtatuerunt. Quum vero ipſis aliquando hoc ad aliquos ægros ſufficeret, palamque fieret, quod prodeſſet, non tamen omnibus, ſed eſſent quidam ita habentes, ut neque modicos cibos ſuperare poſſent, imbecilliore ſane quopiam tales indigere illis viſi ſunt, ſorbitionesque invenerunt, pauca ex fortibus multa aqua permiſcentes, & robur ipſum temperatura, ac coctura detrahentes. Quod ſi qui neque ſorbitiones ſuperare poſſent, iis detraxerunt etiam ipſas, & ad potiones pervenerunt, obſervaruntque, ut & hæ tum uſu, tum copia moderate haberent, & neque plures quam oportet, neque meraciores, & intemperatiores, neque defectuoſiores offerentes.

Probe autem noſſe oportet, quibus ſorbitiones in morbis non conducunt. Nam ſtatim ubi hoc fecerint, exacerbantur ipſis febres ac dolores, & manifeſtum fit, quod adſumptum morbo quidem alimentum ac incrementum præbet; corpori vero tabes & infirmitas exſiſtit. Quicunque vero homines in hac adfectione exſiſtentes ſiccum cibum adſumunt, aut mazam, aut panem, etiamſi valde modicum, decuplo magis & manifeſtius læduntur, quam ſi ſorbitione uſi eſſent, ob nullam aliam cauſſam quam fortitudinem edulii ad adfectionem, in quo ſorbere conducit, non autem edere. Sin plura comederit, plus utique lædetur: ſi vero pauca, dolebit tamen omnino. Omnes itaque doloris cauſſæ ad idem reducuntur, nimirum fortiſſima edulia maxime & manifeſtiſſime hominem lædere, ſive ſanus ſit, ſive ægrotus.

Quid igitur aliud cogitaſſe videri queat hic appellatus medicus, & confeſſus artifex, qui ægro-

rum diætam ac victum adinvenit, quam ille, qui ab initio omnibus hominibus victum, quo nunc utimur, ex agreſti illo ac ferino reperit ac ſubornavit: Mihi equidem videtur idem modus, & unum quoddam ac ſimile eſſe inventum. Hic enim ea, quæ natura humana ſana ſuperare non potuit incidentia, & ingeſta, propter feritatem intemperantiamque: ille vero quorum adfectio, qua ubique quivis detinebatur, ſuperare non poterat, ab illis eadem detrahere quæſivit ac inſtitit. Quid hoc ab illo differt? præterquam quod multiplicior & variegatior, ac majoris negotii eſt hæc ſpecies. Verum principium fuit illa, quæ prius eſt producta.

CAPUT IV.

Ægros ſanorum victu, quam ferarum ſanos magis lædi; Medicinam in victu invento præcellere; famis vehementem eſſe vim; mala tum a vacuatione, tum a repletione varia naſci; Medicos navium gubernatoribus ſimiles eſſe; eorumque delicta prodi.

Si vero quis conſideret, quæ ſit ægrotorum diæta, comparatione ad ſanorum diætam facta, is inveniet hanc ægris nocentiorem, quam eam, quæ ferarum eſt, & aliorum animalium ſanis. Etenim vir laborans morbo neque difficili & intolerabili, neque rurſus levi & deſpicabili, ſi panem aut carnem, aut aliud quid ex his, quæ ſani edentes juvantur, comedere volet, non multum, ſed multo minus, quam ſanus poterat, contingat autem, ut nec ſit, qui eum delinquere admoneat. Alius contra ſanus naturam ha-

bens non omnino debilem, neque rurſus fortem, ſi comederit quid eorum, quæ bos aut equus comedens juvatur, & edat ſane ervum aut hordeum, aut aliud quid hujuscemodi, non multum, ſed multo minus quam poteſt: Sanus utique qui hoc fecerit, non minus gravabitur, & periclitabitur, quam ægrotus ille, qui panem, aut mazam intempeſtive ingeſſit. Hæc itaque omnia ſigna ſunt, quod ipſa ars medica via, aut methodo quæſita inveniri poſſit. Si quidem igitur ſimpliciter, velut aliqui putant, quæ fortiora ſunt, nocerent; quæ debiliora prodeſſent, & nutrirent tum ægrum, tum ſanum, facilis ſane res erat. Longe enim tutius ageretur, ſi res ad imbecillimum deduceretur.

Nunc autem non minus delinquitur, nec minus lædit hominem, ſi pauciora, & defectuoſiora quam ſatis eſt, adſumantur. Fames enim magnam potentiam in naturam hominis habet, & ſanandi & debilitandi, & occidendi. Multa vero etiam alia mala, diverſa quidem ab his, quæ ex repletione fiunt, non minus autem gravia, vacuationis ſunt. Quapropter ars multa varietate plena eſt, & majorem diligentiam requirit. Oportet enim modum aliquem conjectare. Modum autem neque pondus, neque numerum aliquem alium, ad quem referens exactum cognoſcas, non reperies, quam corporis ſenſum. Quapropter operoſum eſt ita exacte condiſcere, ut parum in alterutram partem delinquas: quamquam ego etiam eum medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat: certitudinem autem exactam raro videre contingit.

Quare plerique medici eadem, quæ mali gubernatores in ſe admittere mihi videntur. Etenim illi, quum in tranquillitate gubernantes de-

linquunt, non fiunt manifeſti: quum vero deprehenderit ipſos ventus magnus, & tempeſtas, palam jam conſpicui ſunt omnibus hominibus, quod ignorantia & culpa erroris ſui navem perdiderunt. Sic ſane etiam mali & plurimi medici, quum curant homines nihil grave patientes, in quos ſi quis etiam maxime delinquat, nihil grave faciat. Sunt autem multi tales morbi, & multo ſæpius, quam graves hominibus accidunt. In talibus ſane delinquentes, non fiunt manifeſti idiotis hominibus. Ubi vero obtigerit magnus & fortis, & periculoſus morbus, tunc ipſorum delicta, & ars omnibus in conſpicuo ſunt. Horum enim cujusque vindices pœnæ præſto ſunt, neque in longum differuntur.

CAPUT V.

Adfectus ab intempeſtiva vacuatione ac repletione, ac a cibis præter conſuetudinem adſumptis, aut non adſumptis oboriri; ac priſcam Medicinam non abjici, ſed admirationi eſſe.

QUOD autem non minores afflictiones ab intempeſtiva vacuatione, quam a repletione hominibus contingant, probe diſcemus, ſi in ſanis rem expenderimus. Sunt itaque aliqui ipſorum, quibus ſemel in die cibum capere conducit, & hoc propter utilitatem ſic obſervant. Alii etiam prandent, propter eandem neceſſitatem: ſic enim ipſis conducit, & non his, qui aut ob voluptatem, aut ob alium aliquem caſum alterutrum faciunt. Plurimorum enim hominum nihil intereſt, utrum tandem faciant, ſive ſemel tantum edant, ſive etiam prandeant, hac conſuetudine

uti. Sunt autem quidam, qui non poſſint extra utilitatem facientes facile degere: ſed contingit utriſque ipſorum, per diem unum atque eum non otioſe permutantibus, immenſa afflictio. Alteri enim ſi pranſi fuerint, idque eis non conducat, ſtatim graves, & corpore ſegnes fiunt, itemque mente pigri, hiatuque ac oſcitatione, & dormitatione, & ſiti pleni. Si vero etiam inſuper cœnaverint, & flatus, & tormina, & alvus effringitur, & multis magni morbi principium hoc fuit, ſi eosdem cibos, quos ſemel inſumere conſueverunt, bis adſumant, & nihil his amplius. Alii vero ſi prandere conſueverunt, idque ipſis conducat, & non pranſi fuerint, mox ubi tempus præterierit, ſtatim impotentia vehemens, tremor, animi deliquium; poſtea oculi pallidi, urina craſſa & calida, os amarum, & viſcera pendere ipſis videntur, vertigo, iracundia, triſtitia. Hæc autem omnia ubi cœnare tentaverint. Deinde autem pranſuri conſumere non poſſunt, quæ prius cœnarunt, atque hæc ipſa cum tormine ac ſtrepitu deſcendentia alvum concludunt, ipſique ægre dormiunt, inſomniaque conturbata, ac tumultuoſa habent, pleriſque vero etiam horum morbi hoc ipſum principium fuit.

Conſiderare porro oportet ob quas cauſas hæc ipſis acciderunt. Et ſane puto his, qui cibum ſumere conſueverunt, quod non exſpectaverunt juſtum tempus, donec ipſorum venter pridie ingeſtos cibos perfecte conſumpſiſſet, & exſuperaſſet, evacuatusque eſſet, ac quieviſſet, ſed in ferventem adhuc & fermentatum novos ingeſſerunt. Ejusmodi autem ventres multo tardius concoquunt, & majore opus habent ceſſatione ac quiete. His vero qui prandere adſueti fuerunt, quod non ſibi citiſſime alimento corpus indigebat, & jam

priora conſumpta erant, nec corpus habebat aliquam amplius nutritionem, non ſtatim ipſi novum alimentum ſuppeditatum eſt, ideoque deficit & conſumitur præ fame. Nam omnia, quæ tales homines perpeti dixi, fami imputo. Dico autem etiam alios omnes homines, qui duos aut tres dies inediam pertulerint, eadem paſſuros eſſe, quæ de impranſis dixi. Cæterum tales naturas, quæ cito & fortiter ejusmodi delictis offenduntur, imbecilliores aliis eſſe cenſeo. Proximus eſt autem imbecillis languenti: verum imbecillior eſt languens, & plus laborare contingit ipſum, ubi juſtum tempus non eſt adſequutus.

Quum itaque ejusmodi exacta certitudo circa artem exſiſtat, difficile eſt ſemper id quod exactiſſimum eſt, adſequi. Multæ autem ſpecies in Medicina ad tantam certitudinem perveniunt, de quibus dicetur. Non cenſeo itaque propter hoc artem veterem, velut non exſiſtentem, neque probe inveſtigatam, oportere rejici, eo quod non habeat circa omnia certitudinem exactam. Verum multo magis propterea, quod propinqua eſt exactiſſimo, ſimulque ratione poſſit ad ipſum pervenire, admirari oportere cenſeo ea, quæ ex multa ignorantia ſunt eruta & inventa, quod probe & recte adinventa ſunt, & non a fortuna aut caſu.

CAPUT VI.

Solas qualitates primas nec ſanitatis, nec adfectuum cauſas eſſe, ſed a diverſo pane diverſas oboriri hominum adfectiones.

PORRO ad eos, qui novo modo artem ex ſcopis, ac fundamentis ſuppoſitis quærunt, ſermonem reducere volo. Si enim calidum eſt aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum, quod hominem lædit, & oportet recte medentem auxiliari, calido quidem in frigidum permutato, frigido vero in calidum, ſicco in humidum, humido in ſiccum: contingat mihi homo non fortis naturæ, ſed ex debilioribus, hic autem triticum edat, quod ex area ſuſtulit crudum, & non elaboratum, & carnes crudas, & bibat aquam; hoc victu utens ſatis ſcio, multa & gravia eſſe perpeſſurum. Nam & doloribus vexabitur, & corpus debile evadet, & venter corrumpetur, & multo tempore vivere non poterit. Quodnam igitur auxilium præparare oportet ſic habenti? calidum an frigidum, vel ſiccum, vel humidum? ſimplex enim eſt quodcunque ex iſtis. Si enim id quod ipſum lædit, aliquod ex his eſt, contrario ſolvere oportet ac liberare, quemadmodum ipſorum ſermo teſtatur. Atqui certiſſimum & manifeſtiſſimum medicamentum eſt, victum, quo utebatur, auferre, & pro tritico panem dare, pro crudis vero carnibus coctas, inſuperque vinum propinare. His permutatis impoſſibile eſt non fieri ſanum, niſi diuturniore iſta victus ratione prorſus fuerit corruptus.

Quid itaque dicemus? num quod ipſi a frigidis afflicto calida hæc oblata auxilium tulerint, an contraria? Equidem opinor me multam hæſitationem interrogato præbiturum eſſe. Nam qui panem ex tritico paravit, calidum aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum abſtulit. Panis enim & in ignem & in aquam datur, & multis aliis elaboratus eſt, quorum ſingula propriam vim & naturam habent, & aliqua quidem a natura in

ipſo exſiſtentia abjicit, aliis autem temperatur, ac permiſcetur. Sed & hoc ſcio, quod in corpus hominis refert, panis purus, aut cui nihil furfurum deceſſit; & ex tritico cortice non repurgato, aut purgato; & multa aqua ſubactus, aut contra; & ſuperaſſatus aut crudior; aliaque præterea infinita. Similiter etiam de maza. At & ſingulorum adeo vires magnæ ſunt, alteraque alteri nihil ſimile habet. Quicunque autem hæc non conſiderans, non novit, haud ſcio quomodo ille adfectiones in homine cognoſcere poſſit? ab unoquoque enim horum adficitur & alteratur homo, vel hoc, vel alio modo; & ex his omnis vita & ſano, & ex morbo convaleſcenti, & ægroto conſtat. Nihil igitur utilius, neque magis neceſſarium, quam hæc cognoviſſe.

CAPUT VII.

De primis ac ſecundis qualitatibus, ſeu facultatibus, & earum mixtione & ſecretione, quibus bene aut male adficitur homo.

Quod & probe & convenienti ratiocinatione inveſtigantes, juxta hominis naturam hæc primi inventores invenerunt, judicaveruntque artem dignam, quæ Deo adſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum. Non enim ſiccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quidquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus eſſe opinati ſunt. Sed quod in unoquoque forte & humana natura potentius eſt, quodque non poſſit ſuperare, hoc ipſum lædere dixerunt, & hoc auferre quæſierunt. Fortiſſi-

mum autem eſt inter dulcia, dulciſſimum: inter amara, amariſſimum: inter acida, acidiſſimum, & in omnibus adeo rebus vigor ipſe, ac ſummum. Hæc enim & in homine ineſſe viderunt, & hominem lædere. Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, & alia infinita, quæ pro copia & viribus, varias habent facultates. Atque hæc quidem mixta inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt.

Ubi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit. Quin & ex cibis, quicunque nobis incommodi ſunt, & ingeſti hominem lædunt, horum unusquisque, aut amarus eſt, & minime temperatus, aut ſalſus, aut acidus, aut alio quodam modo intemperatus & fortis; & propterea turbamur ab ipſis, quemadmodum etiam ab his, quæ ex corpore excernuntur. ' Omnia autem, quæ edit, aut bibit homo, talia edulia palam eſt minime hoc intemperato, & diſſidente ac excedente ſucco participare, velut ſunt panis & maza, & his ſimilia, quibus adſuetus eſt homo plurimis, & ſemper uti. Exceptis his, quæ ad voluptatem ac delicias condiuntur ac præparantur: & ab his plurimis in hominem ingeſtis turbatio, ac ſecretio corporis facultatum minime contingit. Verum robur & augmentum, ac alimentum præſertim, per nihil aliud contingit, quam quod & probe temperatum eſt, & nihil habet intemperatum, neque forte; ſed totum unum factum eſt, & ſimplex, & non forte.

Et valde ſane dubito ego, quonam modo hi, qui talem ſermonem proferunt, & artem ex hac via ad ſcopum abducunt, curaturi ſint homines, quemadmodum proponunt. Non enim eſt ipſis,

velut ego opinor, inventum quid ipſum in ſeipſo calidum, aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum, quod nulla alia ſpecie communicaret. Verum ut ſentio, iidem apud illos potus & cibi exiſtunt, & ii quibus omnes utimur, ſed huic calidi, illi frigidi, huic ſicci, illi humidi nomen adponunt. Quoniam illud ſane dubium eſt, imperare ægroto calidum quid adſumere: ſtatim enim interrogabit, quid ſit illud? ut nugas producere neceſſe ſit, aut ad aliquid eorum, quæ fiunt, confugere.

Si autem eſt calidum quoddam idemque acerbum, aliud vero calidum inſipidum, aliud calidum turbulentum motum habens (ſunt enim & alia calida etiam alias vires ſubcontrarias ſibi ipſis habentia) quodnam igitur ipſorum adſumere oportebit? calidumne & acerbum, an calidum & inſipidum, an ſimul frigidum & acerbum? Nam & hoc eſt, uti etiam frigidum & inſipidum. Etenim quod ego ſcio, totum contrarium ab utroque ipſorum evenit, idque non ſolum in homine, ſed etiam in corio ac ligno, & in aliis multis rebus, quæ magis ſtupidum ſenſum habent, quam homo. Non enim calidum eſt, quod magnam vim habet, ſed ipſum acerbum, & inſipidum, & alia, quæ a me relata ſunt, tum in homine, tum extra hominem, ſive edantur, ſive bibantur, ſive forinſecus illinantur, aut quacunque forma corpori adhibeantur.

Frigiditatem autem & caliditatem ego omnium facultatum minime potentes eſſe in corpore exſiſtimo, ob has ſane cauſſas. Quo equidem tempore ipſa inter ſe permixta ſimul frigidum, ac calidum fuerint, non lædunt. Temperamentum enim & moderatio contingit frigido a calido, & viciſſim calido a frigido. Ubi vero ſeorſim utrunque

que ſecretum fuerit, tunc adfligit. In hoc itaque tempore, quum frigidum intus generatur, & cito hominem adfligit, primum propter hoc ipſum adeſt calidum, inde adeo ex homine ipſo, nullo alio auxilio, neque præparatione opus habens: atque hoc & in ſanis hominibus, & in ægrotis operatur.

CAPUT VIII.

Quo magis incaluerit corpus, eo magis refrigeratur; & quo frigidius redditum eſt, eo calidius redditur; nec a calido ſimplici, ſed a calido & amaro, aut ſimili febres oboriri.

ITAQUE ſi quis ſanus hyeme corpus perfrigerare velit, aut frigida lotione, aut alio quopiam modo, quo id melius obtinetur, faciet, ſique non omnino corpus geletur, ubi ſe veſtierit, & texerit, magis corpore incaleſcet. Rurſus, ſi quis valde calefieri velit, aut calido lavacro, aut igne, id faciet. Idem etiam eveniet, ſi eandem veſtem habens in eodem loco permaneat. Quemadmodum prefrigeratus, frigidiorve, & horridior longe apparebit, ſi quis præ æſtu ventilationem ſibi faciens, frigusque in eum modum, ſibi præparans recreetur. Nam qui hoc facit, decuplo majorem æſtum, ac ardorem percipiet, quam qui horum nihil fecerit.

Verum ſunt adhuc teſtimonia multo majora. Quicunque per nivem, aut aliud frigus iter facientes, ſupra modum pedibus, vel manibus vel capite, perfrigerati noctu patiuntur, quum coöperti, & in tepore fuerint, ab æſtu, & pruritu divexantur: quibusdam etiam bullæ velut ambuſtis ab igne exſurgunt, neque prius hoc pa-

tiuntur, quam calefiant: adeo prompte utrumque ipſorum ad alterum accedit. Poſſem & alia innumera recenſere.

Cæterum circa ægrotos, nonne quibus rigor contingit, iis acutiſſima febris emicat? neque adeo fortiter, verum pauco tempore quieſcens, & alias fere innoxia, & quo tempore adfuerit, percalida, & per totum corpus penetrans, an non ea deſinit quam maxime in pedes, in quibus rigor & frigus validiſſimum diutiſſime perdurarunt? rurſus cum ſudor prodierit, & febris deceſſerit, nonne multo magis frigeſcit æger, quam ſi ne adprehendiſſet quidem ab initio? Cui igitur brevi adeo contrarium ſuccedit, cuique vis adimitur ſua ſponte, quidnam ab hoc magnum aut grave fiat? aut quid opus eſt multo ad hoc auxilio?

Verum, dixerit aliquis: Qui ardenti febre febricitant, itemque peripneumoniis, & aliis fortibus morbis, non cito ex calore liberantur, neque adeſt hic frigidum adverſus calidum. Atqui ego hoc maximum ſignum eſſe puto, quod non propter calidum ſimpliciter homines febricitent, neque hoc ſit ſimpliciter adfectionis cauſſa: ſed eſt & amarum, ac calidum idem, & calidum ac acidum, & ſalſum ac calidum, & alia infinita, ac rurſus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum; hæc itaque ſunt, quæ lædunt. Si ſimul adeſt autem & calidum robore participans, nimirum ducens, & exacerbans, & augens ſimul cum illis, verum nullam potentiam, majorem quam convenit videlicet, habens. Atque hæc quidem ſic ſe habent. Signa porro primum quidem manifeſtiſſima producemus, quorum omnes jam ſæpe experientiam ſumpſimus.

CAPUT IX.

De fluxionibus in nares & oculos irruentibus, coryzam, & palpebrarum aliarumque partium exulcerationes generantibus.

ITAQUE quibuscunque noſtrum gravedo innaſcitur, & fluxus per nares movetur, hic ut plurimum acrior eſt, eo, qui prius erat, & quotidie ex naribus prodibat, & tumeſcere facit naſum, & exurit calentem & extreme ignitum: quod ſi longiore tempore perſeveraverit, & manum admoveas, etiam exulceratur locus minime carnoſus, & durus. Sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, non quum fluxus prodit, & inflammatio conſiſtit: ſed poſtquam fluxus craſſior, & minus acris, concoctusque & magis permixtus priore fuerit, tunc ſane jam etiam ardor ceſſat. Rurſus autem aliis ex frigiditate ipſa ſola manifeſte gravedo fit, nullo alio accedente. Omnibus autem liberatio hæc eſt, ut ex frigiditate quidem adfecti percaleſiant, ex ardore vero perfrigerentur, atque hæc brevi accedunt, & concoctione nulla opus habent. Reliquæ autem omnes fluxiones, quas propter humorum acrimonias, & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur & curantur, ubi temperatæ fuerint, & concoctæ.

Rurſus quæcunque fluxiones ad oculos vertuntur, ut fortes & omnigenas acrimonias habentes, exulcerant quidem palpebras, erodunt autem aliquorum genas, & ſub oculis partes, ad quascunque tandem influxerint, erodunt, tunicam etiam pupillam ambientem rumpunt, & exedunt. Dolor autem & ardor, & inflammatio extrema

adſunt aliquandiu, donec fluxiones fuerint concoctæ, & craſſiores redditæ, & lemæ ab ipſis exſtiterint. Fit autem concoctio ex permixtione, temperaturaque mutua, & quaſi coctura.

CAPUT X.

Ex facultatibus humorum exſuperantibus morbos oriri; ac morbos alteratione, purgatione & contemperatione ſolvi, qualitatesque contrariis emendari.

QUIN etiam fluxiones in fauces delabentes, ex quibus raucedines fiunt, anginæ, eryſipelata, peripneumoniæ: omnes hæ primum quidem ſalſæ, & humidæ, acresque deſcendunt, & in talibus morbi firmantur. Ubi vero craſſiores & maturiores factæ fuerint, & ab omni acrimonia liberatæ, tum jam & febres, & alia hominem lædentia ſolvuntur. Oportet autem utique cauſſas uniuscujusque ea putare, quæ quum adſunt, talem modum fieri neceſſe eſt, quum permutantur in aliud temperamentum, ceſſare. Quando igitur ab ipſa caliditate ſincera, aut frigiditate fluxiones contigerint, & nulla alia facultate participaverint, ſic ſane ſedabuntur, ubi ex frigido in calidum permutatæ fuerint, & ex calido in frigidum. Permutantur autem eo, quem dixi, modo.

Amplius porro etiam alia quæcunque mala homo patitur, omnia a facultatum potentiis proficiſcuntur. Itaque quum amaritudo quædam diffuſa fuerit, quam bilem flavam appellare ſolemus, quales ſtatim anxietates, & æſtus, & impotentiæ occupant? Verum ubi liberati fuerimus ab illa, &

purgati, aut ſponte, aut per medicamentum, ſi modo tempeſtive quid ipſorum fiat, manifeſte & a doloribus & a calore liberamur. At quamdiu iſta ſublata, incocta & minime contemperata fuerint, nulla arte neque dolores, neque febres finientur. Ex quibus quidem acuti, acres & æruginoſi humores inſtant, quinam furores, & viſcerum ac thoracis lancinationes, animique abjectio inde oriuntur? Neque prius hæc quieſcunt, quam emaciati ejecti, & alii permixti fuerint. Concoqui autem & permutari, adtenuarique ac craſſeſcere in humorum ſpeciem, per multas & omnigenas ſpecies contingit. Quapropter & judicationes, & numeri temporum, in talibus multum poſſunt. Hæc vero omnia minime contingit calidum aut frigidum perpeti. Neque enim hoc putreſcere, neque craſſeſcere poterit.

Quid autem hoc ipſum eſſe dicemus? & temperamentum ipſorum eſt, veruntamen inter ipſa mutuo vim habens, quoniam nulli alii permixtum calidum, deſinit eſſe calidum, quam frigido: ſic rurſus non permutatur alio frigidum, quam calido. Reliqua omnia in homine, quanto pluribus miſcentur, tanto mitiora ac meliora fiunt. At vero homo omnium optime diſpoſitus eſt, ubi concoquit & in quiete eſt, nullam peculiarem vim præ ſe ferens. De his igitur videor mihi abunde demonſtrationem feciſſe.

CAPUT XI.

Certam naturæ cognitionem artis eſſe Medicæ univerſæ: & Medico neceſſariam, eamque in cujusque conſtitutione ac diæta verſari.

PORRO Medici quidam, itemque Sophiſtæ dicunt, quod impoſſibile eſt Medicinam cognoſcere eum, qui non novit, quid ſit homo, & quomodo primum factus, & compactus ſit. Ego vero ea, quæ alicui Sophiſtæ, aut Medico, de natura dicta ſunt aut ſcripta, minus cenſeo Medicæ arti convenire, quam pictoriæ. Judico autem de natura aliquid manifeſtum ac evidens cognoſcere, ex nulla parte aliunde contingere, quam ex Medicina: atque hoc tunc condiſcere poſſibile eſt, ubi quis ipſam Medicinam totam recte conprehenderit.

Verum quatenus illi prodiderunt, multi mihi cognoviſſe videntur, cognoviſſe autem dico, narrationem ſcilicet hanc. Quid eſt homo, & ob quas cauſſas naſcitur, & reliqua diligenter. Atqui mihi neceſſarium eſſe videtur, ut omnis Medicus de natura ſciat, & omni ſtudio adnitatur, ut cognoſcat, ſi modo aliquid eorum, quæ fieri debent recte præſtare velit. Quid eſt homo ad ea, quæ comeduntur, ac bibuntur comparatus, & quid cuique ab unoquoque continget ac accidet, & non ſimpliciter ſic exiſtimare, quod malum edulium eſt caſeus. Dolorem enim affert repletio ex ipſo. Sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem exſiſtenti incommodum exſiſtit. Nam & alia multa edulia ac pocula natura mala ſunt, & afficiunt hominem non eodem modo. Proferatur autem mihi verbi cauſſa aliquid, velut vinum meracum multum potum hominem aliquo modo debilem reddit, & omnes, qui viderint hoc fatentur, & cognoſcunt, quod hæc eſt vis vini, & quod ipſum eſt cauſſa, & in quas in homine partes maxime poſſit novimus.

Talem itaque veritatem etiam de aliis oſtendere volo. Etenim caſeus (quandoquidem hunc in

exemplum adſumpſi) non omnes homines lædit, ſed ſunt qui ex ipſo repleti, ne tantillum quidem offenduntur, imo gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur. Sunt autem qui ipſo utentes difficulter a noxa liberantur. Horum vero naturæ differunt; differuntque etiam juxta hoc, quod eſt in corpore caſeo contrarium. Nam a caſeo excitatur & commovetur, in his quibus ejusmodi humor multus in corpore exſiſtit, & quo magis hic potens eſt, eo magis veriſimile eſt ipſos male adfligi. Si vero toti humanæ naturæ malus eſſet, omnes utique læderet. Hæc autem, ſi quis noviſſet, non incurreret ea, neque ſane pateretur. In iis vero, qui ex morbis convaleſcunt, ac præterea longis morbis conflictantur, multi velut inſtructa acie conflictus fiunt, partim ſua ſponte, partim a quibuslibet temere admiſſis.

Novi autem Medicos multos velut idiotas, qui ubi ægroti die aliqua novi quidpiam feciſſent, velut ſi laviſſent, aut deambulaſſent, aut quid alienum comediſſent, atque hæc adhibuiſſe, quam omiſiſſe præſtitiſſet: nihilominus tamen cauſam alicui ex his contribuebant, veram quidem cauſſam ignorantes, & fortaſſis id, quod commodiſſimum erat, damnantes. Quod ipſum certe facere non oportet, ſed ſcire, quid balneum intempeſtive adhibitum operetur; quid item fatigatio & laſſitudo. Nunquam enim eadem adflictio ab his provenit, neque ab alio, neque etiam ex repletione, neque ex hoc vel illo cibo. Quisquis igitur hæc non cognoſcet, quomodo hæc ſingula ſe habeant ad hominem comparata, is neque cognoſcere, quæ ab ipſis fiunt, poteſt, neque recte iis uti.

CAPUT XII.

De multis ac variis figuris partium.

CÆTERUM & hæc cognoſcere oportere mihi videtur, nimirum quæ adfectiones homini ex facultatibus ac potentiis, quæ item ex figuris adveniunt. Quod autem dico, tale eſt. Nempe facultatem quidem eſſe humorum ſummas vires cognoſcere, ac robur. Figuras autem dico, quæ in ipſo homine inſunt. Aliæ enim cavæ ſunt, & ex amplitudine in arctum coactæ; aliæ expanſæ, aliæ ſolidæ & rotundæ, aliæ latæ & penſiles, aliæ extentæ, aliæ longæ, aliæ denſæ, aliæ raræ & floridæ, aliæ ſpongiformes ac tenues. Quæ igitur ex his trahere ad ſeſe adlicereque humiditatem ex reliquo corpore maxime poſſunt? Num cavæ & expanſæ, an ſolidæ & rotundæ, aut cavæ & in arctum ex amplitudine coactæ? Equidem puto tales eſſe, quæ ex cavitate & amplitudine in arctum ſunt coactæ. Id quod ex manifeſtis forinſecus condiſcere oportet. Veluti quidem ſi ore hiante fueris, nullum humorem adtraxeris, ubi vero protenſis labris conſtrinxeris ac compreſſeris, inſuperque fiſtulam admoveris, quidquid libuerit, adtrahes. Hoc vero quod cucurbitæ, quæ corpori adponi ſolent, ex amplitudine in anguſtiam arctatæ ad hoc factæ ſunt, ad trahendum videlicet & adliciendum ex carne.

Sunt autem & alia multa ejuscemodi. Verum intra hominem natura, & figura talia ſunt veſica, & caput, & uterus in mulieribus; atque hæc manifeſte maxime trahunt, & ſemper plena ſunt adtractæ humiditatis. At vero cavæ & expanſæ figuræ, influentem quidem humorem maxime om-

nium ſuſceperint, non autem ſimiliter adtraxerint. Solidæ autem & rotundæ, neque adtraxerint, neque ſuſceperint: dilabitur enim & non habet ſedem in qua maneat. Spongiformes vero & tenues, velut lien, pulmo, & mammæ, ubi admotæ maxime fuerint & adhæſerint, ebibunt, duraque fiunt, ac augeſcunt, humore accedente. Non enim in ventriculo ineſt, in quo humorem extrinſecus contineat ipſe ventriculus, in quo eſt humor, ut quotidie exhauriatur: ſed quum biberit, & ſuſceperit ipſe in ſeipſum humorem, & vacua & rara, ac parva penitus explentur, & pro raro ac molli, durus ac denſus evadit, & neque concoquit, neque dimittit. Atque hæc patitur propter figuræ naturam.

Quæcumque autem flatum, eorumque convolutiones operantur in corpore, ea in cavis ac amplis, velut ventre ac pectore, ſtrepitum & ſonitum facere ſolent. Etenim quod non ſic repleant, ut ſtent, ſed habeant transmutationes & motus, neceſſe eſt, ut ab ipſis & ſtrepitus, & manifeſtæ commotiones fiant. Quæcumque vero carnoſa ſunt & mollia, in talibus ſtupores & repletiones, quales jugulatis fiunt. Cæterum quum inciderit flatus in latum ac renitens, & aliquid ipſi reſtiterit, idque natura fuerit neque forte, ut adverſus violentiam durare poſſit, & nihil mali pati, neque molle & rarum, ut excipere ac cedere queat, verum tenerum, & floridum, & ſanguineum ac denſum velut hepar, quod propter denſitatem quidem ac latitudinem reſiſtit ac non cedit, flatus vero ſubiens augeſcit ac fortior evadit, & adverſum reluctans maxime impetum facit. Propter teneritudinem autem & ſanguineitatem absque doloribus eſſe non poteſt. Et propter has cauſſas dolores acutiſſimi ac frequentiſſimi circa eum locum contingunt, ſup-

putationeſque ac tubercula plurima. Fiunt etiam circa ſeptum transverſum vehementes dolores, ſed multo minores. Diſtentio enim ſepti transverſi lata eſt, & retinens, natura autem nervoſior, & robuſtior, quapropter minus dolore affligitur; fiunt tamen & dolores, & tubercula circa ipſum.

Multæ vero etiam aliæ, & extra & intra corpus figurarum ſpecies ſunt, quæ magnopere inter ſe differunt, tum ægroto tum ſano: cujuſmodi ſunt capita parva aut magna, colla tenuia aut craſſa, longa aut brevia, ventres longi aut rotundi, pectoris & coſtarum latitudines aut anguſtiæ, & alia infinita: quæ ommia noſſe oportet, quatenus differant, quo cauſſas ſingulorum cognitas probe obſerves.

CAPUT XIII.

De humorum facultatibus.

DE potentiis autem humorum perſpectum habere operet, quid ſinguli ipſorum in homine facere poſſint, quemadmodum etiam prius dictum eſt, quasque cognationes inter ſe habeant. Quod dico tale eſt: An videlicet dulcis humor in aliam ſpeciem mutetur, non a contemperamento, ſed ipſe a natura propria exiens qualitatem aliquam trahat, nempe ſi ſponte fiant, amarus, an ſalſus, an acerbus, an acidus? ſique acidus, num acidus, præcellens, maxime incommodus ſit, ſi quidem dulcis omnium commodiſſimus exſiſtit. Id quod ſi quis forinſecus quærens conſequi poſſit, is ſemper quod melius eſt ex omnibus eligere queat. Optimum autem eſt, quod longiſſime ab incommodo abeſt.

DE ARTE LIBER.

PRÆFATIO.

Quartæ claſſi accenſetur a MERCURIALI, *& pro ſpurio habetur, quem præter auctorem definitionum nemo veterum nominaverit. Totus utique in ratiocinio verſatur. Medicos tuetur, neque eorum culpa putat fieri, ſi ægroti moriantur, quos probabile ſit ſua potius culpa interire, aut ex ipſa artis impotentia, cujus inſtrumenta non ſuffecerint, cum Medicum intelligentem, & ad omnia adtentum peccaſſe, nulla ſit ſuſpicio. Neque abſque medicina ſanari, qui abſque medico ſanantur; omnia enim ad medicinam pertinere, quæ aut nocent aut proſunt. Neque putat imputandum medicis, ſi ad deſperatos caſus accedere nolint. Inde aliqua de iis quæ in corpore humano obſcura ſunt, & per ratiocinium adtinguntur: id obtineri per excretorum manifeſtas qualitates &c. Hic habes hepar in thorace; & multiplices ventres & celluloſam telam, & ſubſpumoſum aliquid in articulis.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Adverſus artis calumniatores, tum Sophiſtas, tum Plebejos diſputat, in genere pri-

mum, deinde in ſpecie, ad medicinam ſeſe convertens, quam certam eſſe artem demonſtrat; & plurima, tum ad medicum ipſum, tum ad ægrotantes morboſque ſpectantia, proponit.

CAPUT I.

In artium & operum alienorum calumniatores, oratio vehemens, copioſa, potens.

SUNT nonnulli, qui artes probris inſectari, artem eſſe duxerunt. Hoc talem, ut autumant, non adſequuntur, quod ego aſſero, ſed ſcientiæ propriæ oſtentationem faciunt.

Mihi vero aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, invenire, quodque inventum, quam non inventum eſſe præſtiterit, intelligentiæ votum, munuſque eſſe videtur; atque inchoata ad perfectionem adducere, conſimile eſt. At eniti verborum inhoneſtorum arte, quæ ab aliis inventa ſunt, contaminare, neque quidquam emendare, ſed doctorum inventa apud indoctos calumniari ſane intelligentiæ ſcopus munuſque id eſſe non videtur, ſed magis naturæ criminatio, quam imperitia; ſolis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitioſe quidem contendunt (nequaquam tamen improbitate ſua præſtare poſſunt) ut, quæ recta aliorum ſunt opera, calumnientur, vel non recta vituperent. Eos igitur, qui in alias artes hoc modo invadunt, quibus hæ curæ ſunt, quorumque id intereſt, ſi poſſint, ipſi coerceant

At præſens oratio his qui hoc pacto Medicinam

adeunt, adverſabitur; vehemens quidem, propter eos, in quos invehitur; copioſa vero propter eam, quam patrocinatur, artem; potens autem ob eam, qua pollet, ſapientiam.

CAPUT II.

Artem omnem exſiſtere, & artibus nomina ex ſpeciebus imponi.

VIdetur ſane mihi in univerſum nulla ars eſſe, quæ non exſiſtat. Nam eorum, quæ ſunt, quidpiam non eſſe putare, perabſurdum eſt. Nam eorum, quæ non ſunt, quamnam quis ſubſtantiam intueri queat & affirmare quod illa ſint? enim vero ſi quæ non ſunt, videre non licet, uti ea quæ ſunt; neſcio quo pacto, quis ea quæ non ſunt, uti ea, quæ ſunt animo complecti poſſit (quæ quod ſint, & oculis intueri, & mente comprehendere licet) neque vero id unquam ejusmodis contigerit. Sed ea, quæ ſunt utique perpetuo cernuntur, & cognoſcuntur, quæ vero non ſunt, neque cernuntur neque cognoſcuntur.

Cognoſcuntur vero demonſtratis jam artibus, & nulla eſt ars, quæ non ex quadam ſpecie cernatur; arbitror ſane etiam illas ex ſpeciebus nomina accepiſſe. Nam præter rationem eſt exiſtimare, ex nominibus formas enaſci; neque id fieri poteſt. Nomina namque naturæ lege ſancita ſunt; formæ autem non naturæ lege ſunt inductæ, ſed naturæ ſunt germina. Atque hæc quidem ſi ſi quis ex iis, quæ dicta ſunt, non ſatis intelligat, in aliis commentariis apertius docebitur.

CAPUT III.

Quid ſit Medicina? Et quod arti, non fortunæ curatio tribuatur.

AT de Medicina (ad eam enim hæc oratio) claram itaque hujus demonſtrationem inſtituam. Ac primum quidem, prout ſentio, Medicinam definitam eſſe, quæ prorſus ab ægris morborumque vehementiam obtundit, neque a morbo victis manum admovet, quum hæc Medicinam non poſſe conſtet.

Quod igitur tum iſta præſtet, tum etiam ſemper præſtare queat, de hoc mihi certe reliqua erit oratio. Verum dum artem eſſe demonſtro, ſimul etiam, qui probris ipſam deprimere autumant, eorum rationes diluam; prout eorum quisque aliquid efficere ſe poſſe arbitratur. Itaque mihi orationis exordium eſt, quod & ab omnibus concedetur. Nonnullos quidem arte Medica curatos ſanitati eſſe reſtitutos, conſenſu omnium patet; quod vero non omnes, hac in re jam ars reprehenditur.

At objiciunt, qui de ea deterius loquuntur, qui morbis corripiuntur, ex iisque evadunt, ipſos fortuna, non arte ſanos evadere. Ego vero fortunæ quidem quavis in re nihil quidquam detraho; ſed cenſeo, morbis, qui male curantur, iis ut plurimum adverſam fortunam; qui vero recte, iis proſperam fortunam obtingere. Deinde vero, qui ſanati ſunt, quomodo cuinam alteri, quam arti cauſam referre poterunt, ſiquidem ejus uſu ac miniſterio ſanitatem adepti ſunt? ſuppeditatione uſi convaluerunt. Atque quod

ad inanem enim fortunæ ſpeciem attendere noluerunt, cum ſeipſos arti commiſerint; adeo ut a referenda fortunæ gratia liberi ſint, ab ea autem, quam arti debent haud liberentur. Quod enim ipſi ſeſe commiſerint ac concrediderint (palam eſt) ipſos ea re ejus ſpeciem fuiſſe contemplatos, & vires perfecto opere agnoviſſe.

CAPUT IV.

Qui ægri, Medico non uſi, convaluerunt, eos artis aut victus ope ſanos evaſiſſe; artemque ex recto & non recto dignoſci.

OBjiciet ſane hic adverſarius, multos jam ægros, etiam Medico non uſos, convaluiſſe. Atque hancce rationem non improbo. Ac fieri mihi poſſe videtur, ut qui medicum non adhibent, in medicinam incidant, neque tamen intelligant, quid in ipſa rectum, & quid non rectum inſit; ſed per ſe curatis eadem, quæ, ſi Medicis adhibitis curati fuiſſent, contigerunt.

Atque id tandem certum magnumque eſt exſiſtentis artis argumentum & quod ars ſit, & magna ſit, quando & hi, qui ipſam eſſe non exiſtimant, per eam ſervati conſpiciuntur. Summe enim neceſſarium eſt, etiam Medicis non uſos tum ægrotantes, tum convaleſcentes noſſe, ſe, quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, ſanitatem fuiſſe conſequutos. Sive enim inedia, aut multo cibo, aut uberiore potu, aut ſiti, aut balneis, aut lotionum abſtinentia, aut laboribus, aut quiete, aut ſomno, aut vigilia, aut horum omnium utilitatem ſenſerint, quid fuerit, quod utilitatem tulerit, ipſos adgnoviſſe omnino neceſſe eſt, & ſi

quam læſionem acceperint, tum læſionem ipſam, tum quid fuerit, quod læſerit. Neque enim, quæ utilitate & noxa diſtincta ſunt, eſt cujusvis cognoſcere.

Si igitur is, qui ægrotavit, aliquam victus rationem, per quam ſanitatem adeptus eſt, aut laudare, aut improbare noverit, omnia hæc Medicinæ eſſe comperiet. Neque vero minus, quæ læſerunt, quam quæ profuerunt, artem eſſe comprobant. Quæ enim profuerunt, quod recte adhibita fuerint, juverunt; quæ vero læſerunt, quod nequaquam recte uſurpata fuerint, læſerunt. At vero ubi rectum & non rectum ſuum terminum habet utrumque, quomodo, id ars non erit? Id namque ego artis expers eſſe dico, quum neque rectum quidquam fuerit, neque non rectum. At ubi eorum ineſt utrumque, quomodo id non artis, ſed nullius artis opus fuerit?

CAPUT V.

Medicinam artem eſſe ex pharmaceuticis, diæteticis, & therapeuticis operibus probat; ipſamque propter quid & ad aliquid fieri; ſpontaneum vero & fortuitum nihil eſſe.

AD hæc autem, ſi ex medicamentis purgantibus, & alvum ſiſtentibus curatio in Medicina, & apud Medicos duntaxat perficeretur, imbecilla eſſet noſtra oratio. Nunc vero qui inter Medicos maxime celebrari conſpiciuntur, ii & victus ratione, & aliis remediorum generibus curant; quæ nemo Medicus, ſed ne plebeius quidem indoctus, ſi audierit, artis eſſe non profiteatur.

Ubi igitur nihil neque in bonis Medicis, neque in

in arte ipſa Medica eſt inutile, ſed in eorum, quæ producuntur, aut efficiuntur, quampluribus, inſunt curationum & medicamentorum ſpecies; non eſt, quod etiamnum aliquis eorum, qui citra Medicum convaluerunt, ad fortuitum caſum jure id referat. Spontaneum enim nihil eſſe, adparet ac deprehenditur. Quidquid enim fit, propter quid fieri comperitur, & ad aliquid refertur. Spontaneum vero eſſentiam nullam habere videtur, ſed nudum tantum nomen. Medicina autem tum ex his, quæ propter quid de induſtria excogitata ſunt, eſſe adparet, tum eſſentiam amplius habere, conſpicietur. Quare his quidem, qui fortunæ ſanitatem acceptam ferunt, artique derogant, hæc, quæ dixi, reponere aliquis poſſit.

CAPUT VI.

Controverſiæ in artem medendi, quod morientium jacturam non prohibeat, reſpondet.

At vero eos, qui ex morientium jactura artem demoliuntur, miror, qua idonea impulſi ratione, morientium quidem intemperantiæ cauſam non adſcribant; ſed eorum, qui Medicinam exercent, ſcientiam accuſent: ac ſi Medicis datum ſit, quæ non deceant, imperare; ægris vero non liceat imperata infringere.

Atqui multo certe magis rationi conſentaneum eſt, ægros non poſſe, quæ imperantur exſequi, quam Medicos, quæ non deceant, imperare. Hi namque ſana mente & corpore, conſideratis prius tum præſentibus, tum iis, quæ ex præteritis cum præſentibus peræque ſe habent, cura-

tionem adgrediuntur; adeo ut qui curatus eſt, aliquando fateatur, ſe illorum ope liberatum eſſe. Illis vero neque quo morbo laborent, neque quam ob cauſam ægrotent, neque quid ex præſentibus eventurum ſit, neque quid ex horum ſimilibus fiat, intelligentes, imperatur; præſenti quidem morbo afflicti, eventum vero metuentes, & morbo quidem gravati, cibis vero vacui, malunt ea, quæ morbo grata ſunt, quam quæ ad ſanitatem conferunt, admittere; non quod mori deſiderent, ſed quod incommoda patienter ferre nequeant.

At hos ſic adfectos, an vero ſimilius eſt, quæ a Medicis imperantur, facere; quam alia facere, quæ non imperantur? An Medicos eo modo, quo, præcedens oratio expoſuit, conſtitutos, ea, quæ minime conveniunt, imperare? Nonne multo æquius eſt, eos quidem recte imperare: illos vero, ut par eſt, obſequi non poſſe, atque non obſequentes in mortem incidere? quarum rerum cauſas, qui non recte perpendunt, in eos qui culpa vacant, rejiciunt, ac reos a culpa eximunt.

CAPUT VII.

Quod morbus Medicinæ inſtrumenta ſuperet, ægrumque enecet, morbi vim, non artem cauſam eſſe.

AT quidam ſunt, qui etiam propter eos, qui morbo ſuperatis curatrices manus admovere nolunt, artem medicam reprehendunt; & dicunt, eos ipſos, quos curandos adgrediuntur, per ſe ſanari: qui vero auxilio indigent, eos medicum non adtingere; oportere autem, ſi quidem ars ſit, om-

nibus peræque morbis mederi. Qui igitur hæc proponunt, ſi de Medicis conquerantur, quod eorum, talia proferentium tanquam delirantium, curam nullam ſuſcipiant multo ſane juſtius ſuccenſuerint, quam quod illa reprehendant. Si quis enim vim artis in iis, quæ non profitetur, aut naturæ in iis, ad quæ apta non eſt, exigat; is inſana laborat ignorantia, quæ amentiæ potius, quam imperitiæ adfinis eſt. Quorum enim facultas tum naturæ, tum artium inſtrumentis nobis data eſt, eorum nos artifices eſſe licet, aliorum vero non licet.

Quum igitur quis aliquo adficitur morbo, qui Medicinæ inſtrumentis potentior ſit, ne ſperare quidem oportet, eum ab arte medica vinci poſſe. Exempli namque gratia, inter ea quæ in Medicina urendi vim habent, ignis ſumme urit; eo vero minus alia multa. An vero ex iis præſtantiora leviores morbos curare non poſſint, nondum ſatis conſtat: valentiſſimos autem morbos etiam a potentiſſimis curari non poſſe manifeſtum eſt? In iis enim, quæ ignis non efficit, annon ea, quæ ab eo non vincuntur, ſatis oſtendunt, alia ſibi opus eſſe arte, & non ea, cujus ignis eſt inſtrumentum? eadem vero mihi oratio eſt, & de cæteris inſtrumentis, quæ Medicinæ ſubſerviunt, quorum omnium quemque ſucceſſum ſi non adſequatur Medicus, dico in morbi vehementiam, non in artem culpam rejicendam eſſe.

Qui igitur eos reprehendunt, qui victis a morbo manus non admovent, adhortantur etiam, non minus ea, quæ nefas; quam quæ fas eſt, adtingere. Hæc autem ſuadentes nomine tenus Medicis duntaxat admirationi ſunt; ab artis vero peritis deridentur. Neque vero hujus artificii periti tam imprudentes, nec reprehenſores, nec

laudatores morantur; ſed eos, qui ratione perpendunt, quidnam ſit illud, ad quod directæ actiones artificum perfectæ evadant, a quo deficientes ſint, & imperfectæ; ac præterea defectuum quosdam artificibus, & quosdam ipſis operibus imputandos. Quæ igitur alias artes ſpectant, aliud tempus alio ſermone docebit; quæ vero ad Medicinam, & qualia ſint, & quomodo dijudicanda, partim quidem ſuperior, partim vero præſens docebit oratio.

CAPUT VIII.

Quid morbi manifeſti, quid obſcuri, & multos in corpore eſſe ventres.

SUNT enim his, qui hanc artem probe norunt, morbi alii quidem non in obſcuro poſiti, & non multi; alii vero non in manifeſto, iique multi ſunt. Qui enim ad internas partes vertuntur, in obſcuro: qui vero in ſuperficiem erumpunt, aut tumorem faciunt in manifeſto. Exhibent enim ſeſe tum viſu, tum tactu, ut ipſorum durities, ac mollities ſentiatur; quinam quoque eorum calidi, quinam frigidi, & quorum in ſingulis aut præſentia, aut abſentia, tales ſunt.

Atque horum quidem omnium in omnibus medelas erroris expertes eſſe oportet, non quod faciles, ſed quod inventæ ſint. Inventæ autem ſane ſunt non ab iis, qui voluerunt, ſed ab iis, quibus facultas fuit. At iis facultas eſt, tum quos liberales diſciplinæ non procul deſerunt, tum quibus naturæ dotes ſuppetunt. Itaque ad manifeſtos morbos artem hoc modo abundare oportet; neque ſane ad minus manifeſtos ipſam inopem

eſſe convenit. Sunt autem hi, qui ad oſſa, & ventrem irruperunt.

Habet autem corpus non unum, ſed plures ventres. Duo namque ſunt, qui cibum excipiunt, ac demittunt, aliique his plures, quos ii norunt, quibus iſta res curæ fuit. Quæcunque enim partes carnem orbicularem habent, quam muſculum vocitant, omnes ventrem habent. Quidquid enim non coaluit, ſive cute, ſive carne tegatur, cavum eſt; quod quidem ſanum, ſpiritu; ægrum vero ſanie impletur. Habent itaque brachia hujusmodi carnem, habent & femora, habent & tibiæ. Quin & in carne carentibus talis ineſt, qualem in carnoſis eſſe demonſtratum eſt. Nam & quod abdomen vocatur, in quo hepar abſconditur; & capitis orbis, in quo cerebrum; ipſumque dorſum, cui pulmo adnectitur; harum partium nulla eſt, quæ non & ipſa vacua ſit, multisque ſpatiorum ſegmentis referta, quæ non multum abeſt, ut vaſa ſint, quorum tamen aliqua habentem lædunt, aliqua etiam juvant. Ad hæc etiam venæ multæ, ac nervi non in carne exſtantes, ſed ad oſſa protenſi, articulorum ligamenta ſunt. Ipſi etiam articuli, in quibus eorum, quæ moventur, oſſium commiſſuræ vertuntur, & horum nullum eſt, quod non aliquantulum ſpumoſum ſit, quodque circa ſe forulos non habeat; quos ſanies prodit, quæ iis apertis copioſa, & multis moleſta effluit.

CAPUT IX.

Morbos manifeſtos oculis & ſenſibus deprehendi; abditos mentis ratiocinio; & ægros pati non ob medentem, ſed ob ægri vel morbi naturam.

Neque enim ſane eorum, quæ dicta ſunt, quidquam oculis intuenti cuipiam conſpicere licet: ideoque abditi morbi tum a me appellati ſunt, tum ab arte eſſe judicantur; non tamen quod abditi (artem) ſuperent, ſed, ſi fieri poſſit, ab ea ſuperentur. Fieri autem poteſt, & quantum ægrotantium naturæ ad ſpeculandum ſuggerunt, & inveſtigantium ingenia ad perſcrutandum apta ſunt. Cum majori ſiquidem labore, neque pauciori tempore oculis cernuntur, & cognoſcuntur. Quæcunque enim oculorum adſpectum effugiunt, ea mentis acie comprehenduntur.

Quæcunque vero ægri patiuntur, eo quod morbi non protinus innotuerint, eorum culpa non in Medicos, ſed tum in ægrotantis, tum in morbi naturam rejicienda eſt. Ille namque quum neque pravum adfectum oculis cernere, neque auditione percipere queat, ratiocinatione perſequitur. Enim vero qui abditis morbis laborant, ſi quid de morbo Medicis indicare conantur, id ex opinione magis, quam certa cognitione denunciant. Nam ſi ſciviſſent, in ipſos ſane non incidiſſent, cum ejuſdem prudentiæ ſit, morborum cauſas noſſe, & morbos ipſos omnibus medicamentis, quæ augeſcere morbum prohibent, curare poſſe. Quum igitur eorum, quæ ab ægris enunciantur, certiſſima declaratio non excipiatur, aliud quiddam curanti ſpectandum eſt. Hujus itaque moræ, non ars, ſed corporum natura, cauſa eſt. Illa enim adfectum ſenſu percipiens, mederi æquum cenſet, eo ſpectans, ne temeritate magis, quam conſilio, & ut potius facilitate, quam violentia medeatur. Qui vero ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum.

Sin vero interim, dum adfectus ſpectatur, æger ſuccubuerit; vel quod ſerius ad Medicum

acceſſerit, vel ob morbi celeritatem, peribit. Qui namque morbus ex æquo cum curatione procedit, celerior non eſt, ſed qui prævertit, celerior eſt. Prævertit autem tum propter corporum denſitatem, in qua abditi inhabitant morbi, tum etiam propter ægrotantium negligentiam. Remorantur enim curationes, ſed tum demum morbis correpti curari deſiderant.

CAPUT X.

Medicinæ vires, facultates auxiliatrices, certa ſigna.

QUARE artis facultatem admirari longe æquius eſt, ſi quem ex obſcuro morbo laborantem reſtituerit, quam ſi, quæ fieri non poſſunt, adgreſſa fuerit. Nequaquam vero in ulla aliqua jam inventarum artium tale quiddam ineſt: verum ex his quæcunque igne opus ſuum perficiunt, ſi eis ignis deſit, ab omni opere feriantur. Ubi vero eum contrectarunt, in opere continentur. Quæ item tractabili rerum materia artem ſuam exercent, veluti aliæ quidem lignis, aliæ coriis, aliæ ſculpendo, tum ære, tum ferro, aliiſque ſimilibus rebus earum quamplurimæ. Quæ autem ex his, & cum his fiunt, & ſi facile tractentur, non tamen celeritati adtendendum magis, quam ut quomodo oportet perficiantur, neque perfunctorie. Quod ſi inſtrumentum deſit, quieſcunt: & quamvis in illis tarditas utilitati incommodet, ea tamen pluris æſtimatur.

In Medicina autem licet in ſuppuratis, nec non iis, qui hepate, renibuſque laborant, ac demum in quibusvis ventris affectionibus aperta

inſpectione privata ſit, (hæc omnia omnes norunt) alias tamen facultates coadjutrices adinvenit: vocis nimirum claritatem & tarditatem, itemque deſtillationes, quæ ſingulis qua exitus datur, defluere conſueverunt; earumque partim odoribus, partim coloribus, partim tenuitate craſſitieque expendens conjectura conſequitur, ex eisque ſigna tum eorum, quæ ægri jam perpetiuntur, tum quæ perpeti poſſunt. Ubi vero hæc ſignificationem de ſe præbuerint, neque ipſa natura ſponte dimittit, neceſſarias vias quasdam invenit, per quas vi impulſa citra damnum ea emittat. Remiſſa vero, artis periti, quæ facienda ſunt, indicat.

CAPUT XI.

Ab excrementis morborum ſigna & remedia inventa eſſe: & Medicum opere non verbo præſtare.

Cogit autem partim inſitum nobis calorem, pituitam per ciborum ac potuum acrimoniam diffundere, ut aliquid viſum indicet eorum, quæ ipſa conſpici voluit: partim autem ſpiritum velut indicem adclivibus viis & curſibus (morbum) prodére compellit. Quin etiam ſudores prius commemoratis excitans, calidorum humorum exhalationibus perveſtigat.

Sunt præterea, quæ per veſicam egreſſa magis morbum oſtendere poſſunt, quam quæ per carnem exhalantur. Invenit igitur ars & tales potiones, itemque cibos, qui calidiores alias calefacientibus quum ſint, illaque & eliquant, & profluere faciunt, quæ ſane non profluxiſſent, ſi non hoc modo tractata fuiſſent. Alia itaque ad alia, & alia

per alia ſunt, tum quæ corpus pervadunt, tum quæ indicant. Ut nihil miri ſit, ipſis ſerius fidem haberi, & medendi conatus tardiores eſſe, quum ſic per alienas expoſitiones ad medendi ſcientiam erudiantur.

Quod igitur & rationes in ſeipſa ad ferendum auxilium idoneas habeat medicina, & quod morbis, qui corrigi non poſſunt, jure merito manus non admoveat; aut ſi opem ferre molita eſt, inculpatam ſe præbeat: tum præſens oratio manifeſte indicat, tum viri hujus artis periti, re ipſa lubentius, quam verbis demonſtrationis dictionis ſtudent, utpote qui dicendi non ſtudioſi, fidem multitudini ſinceriorem ex his quæ videat, quam quæ audiat, facere malit.

DE MEDICO LIBER.

PRÆFATIO.

Melior inſcriptio foret de officina medici, chirurgi nempe, quam auctore fuſe deſcribit, ut ad minutias deſcendat, medicamentorum vero & herbarum nullam rationem habeat: ut putes, hunc libellum poſt diviſionem artis prodiiſſe, quo tempore nullæ expeditiones bellicæ fiebant, jam deſtructis græcis regibus: ob eam enim cauſam jubet auctor curationem vulnerum in peregrinis caſtris diſcere.

ARGUMENTUM LIBRI.

Medicum idoneo tum corporis, tum animi cultu illuſtrat; Medicam officinam Me-

dico, loco, luce, inſtrumentis, medicamentis, operationibus, cucurbitularum admotione, ſcarificatione, phlebotomia, telorum extractione, ulceribus, & tuberculis extruit.

CAPUT I.

Qui cultus tum animæ, tum corporis Medicum deceat.

HIc liber Medici inſtitutio eſt, & præceptum, quomodo officinam Medicam inſtruere oportet. Medici equidem inſtitutionem eſſe putamus, ut videat quo modo colore, & bona ac carnoſa corporis habitudine præditus ſit, quatenus ipſius natura patitur. Vulgus enim exiſtimat eos, qui non ſic bene diſpoſitum corpus habent, neque aliis bene proſpicere poſſe. Deinde ut in extrinſecis pure ſe habeat, veſtitu decoro, & unguentis odoratis, non ſuſpectum odorem ad omnia habentibus. Inde enim ægrotos jucunde adfici contingit.

Poſtea animadvertere ipſum oportet, ut animum habeat modeſtum, non ſolum quod ad taciturnitatem adtinet, ſed etiam circa reliquam vitam probe compoſitum. Maxime enim ad opinionem ac autoritatem comparandam conducit, bonis ac honeſtis moribus præditum eſſe. Nam quum talis fuerit, gravis quoque ſimul, & humanus eſſe debebit. Temeraria namque proclivitas, & promptitudo, quamvis valde ſit utilis, deſpectui eſt. At conſiderandum quando his uti

liceat. Eadem enim apud eosdem, cum rara ſunt, æſtimantur.

Quod ad geſtum adtinet vultu ſit ad prudentiam compoſito, non aſpero tamen, ne ſuperbus & inhumanus videatur. Qui vero in riſum exſolutus eſt, ac nimium hilaris, moleſtus judicatur. Hoc itaque vitandum eſt, vel maxime. Juſtum autem ad omnem converſationem eſſe convenit. Juſtitia enim multum auxiliatur. Non exigua autem commercia ægris cum medico ſunt. Nam ſeipſos Medicis ſubditos faciunt, & omni hora mulieribus, virginibus, & opibus maximi pretii, illi occurrunt. Continenter igitur ad omnia hæc ſe hebere oportet. Animo itaque ac corpore ſic diſpoſitum eſſe convenit.

CAPUT II.

In Medici officina, locus idoneus, lux commoda; ægri ſella. Inſtrumenta chirurgica & medicamenta ſint.

PORRO præcepta ad artem medici, per quæ artificioſus eſſe videbitur, ab initio conſiderabimus, ex quo primum homo diſcere incipit. Quæ igitur in officina medica curantur, fere ad diſcentes pertinent. Primum quidem locum domus habere oportet, qui ſane talis ſit, ut neque ventus ad ægrum accedens moleſtus, ſit, neque ſol, neque ſplendor infeſtet. Lux enim ſplendida medentibus quidem non eſt moleſta, non ſimiliter autem ægrotantibus. Itaque talem ſplendorem penitus fugere oportet, per quem oculos ægrotare contingit. Tale igitur præceptum de luce obſervetur. Deinde, ut nequaquam

faciem adverſam ſplendori habeat. Infeſtat enim viſum debilem. Omnis autem occaſio ſufficiens eſt ad debiles oculos conturbandos. Luce itaque hoc modo utendum eſt.

Sellæ autem æquales altitudine ſint, quantum ejus fieri poteſt, ut in ipſis ægri collocentur. Aeramento, exceptis inſtrumentis, medicus nullo utatur. Ornatus enim oneroſus mihi eſſe videtur, talibus vaſis uti. Aqua exhibenda eſt ægris potabilis & pura. Exterſoriis utendum eſt puris ac mollibus: ad oculos quidem, linteis; ad vulnera vero, ſpongiis; hæc enim ſponte naſcentia probe auxiliari videntur.

Omnia autem inſtrumenta rite fabrefacta ad uſum eſſe oportet, magnitudine, gravitate, ac tenuitate. Quæ vero adhibentur omnia, conſiderare oportet, ut conferant, maxime ſi ægrotæ parti adhibebuntur. Talia autem ſunt ligamenta, & medicamenta, & lintea circa vulnus; & cataplaſmata. Hæc enim longiſſimo tempore circa ægrotantes locos ſunt. At vero ablatio horum, refrigeratioque ac mundificatio, & aquarum adfuſio, pauco tempore abſolvuntur. Diligenter autem conſiderare, quid horum faciendum ſit, oportet, & ubi magis, aut minus ea adhibere convenit. Utrorumque enim uſus opportunus, eſt, itemque negligentia magnam differentiam habet.

C A P U T III.

De deligatione, & uſtione, ſectione celeri ac tarda; de ſectionum gladiolis acutis, ac latis, ac de eorum uſu.

Est autem Medicinæ adcommodata deligatio, ex qua, qui curatur, utilitatem percipit. Ma-

xime autem proſunt duo hæc, quibus utendum eſt, comprimere videlicet ubi oportet, & remiſſe deligare. Quod ad anni tempora videndum, quando contegere oporteat, nec ne, ſimulque ne imbecillitatis ignarus, utro horum utendum ſit hæreas. Concinnas autem deligationes ad ſpectaculum comparatas, & nihil juvantes, reprobare oportet. Sunt enim ejuſcemodi moleſtæ & omnino ad oſtentationem factæ, ac plerumque ei, qui curatur, noxiam adferunt. Quærit autem æger non ornatum, ſed auxilium.

Cæterum in chirurgiis, quæ per ſectionem, aut uſtionem, fiunt, velocitas ac tarditas æqualem laudem merentur. Eſt enim utriuſque uſus. Nam in quibus per unicam ſectionem chirurgia abſolvitur, velocem diſſectionem facere oportet. Quum enim contingat eos, qui ſecantur, dolere, id quod dolorem adfert, quam minimo tempore adeſſe convenit; quod ipſum continget veloci ſectione facta. Ubi vero multas ſectiones fieri neceſſe eſt, tarda chirurgia utendum eſt. Velox enim continuum & multum dolorem inducit. Tarda vero & intermittens, requiem aliquam his, qui curantur, exhibet.

Idem de inſtrumentis quoque dici poteſt. Gladiolis enim acutis, ac latis uti, non in omnibus ſimiliter præcipimus. Nam partes quædam ſunt corporis, quæ celerem ſanguinis fluxum habent, & non facile eſt eum ſiſtere: tales autem ſunt varices, & quædam aliæ venæ. Itaque in talibus anguſtas ſectiones facere oportet. Sic enim nunquam fiet immodica profuſio, ab his tamen ſanguinem interdum detrahere confert. At vero ad loca non periculoſa, & circa quæ non tenuis eſt ſanguis, latioribus gladiolis utendum eſt: ſic enim

ſanguis profluet, aliter nequaquam. Valde autem turpe eſt non contingere a chirurgia, quod velis.

CAPUT IV.

De cucurbitulis, ſcarificatione, & venæ ſectione & volſellis.

CUcurbitarum porro duo modi commodi exiſtunt. Quum enim fluxus procul ab apparente carne conſtiterit, ejus circulum brevem eſſe oportet, ipſamque non ventroſam, ſed oblongam parte ad manum vergente, non gravem: quæ enim talis eſt, in directum trahet, atque remotos ichores probe ad carnem adtrahet. Majore autem dolore per carnem diſperſo, in reliquis quidem conſimilem cucurbitam eſſe oportet, ſed circulum magnum. Sic enim ex plurimis partibus id, quod dolorem facit, educi comperies ad locum convenientem. Neque enim magnum circulum eſſe putant, ſi non ex ampliori loco caro comprehendatur ac contrahatur. At ſi gravis ſit, ad ſuperiores partes propendet, inferne autem magis detractionem facit, ut ſæpe morbi relinquantur. Lati itaque circuli, una cum incumbentibus fluxionibus. & longe diſtantibus a ſupernis locis, multa ſimul adtrahunt de alia carne. Contingit igitur humiditatem inde detractam adponi collecto inferne ſub cucurbita ichori, & quæ quidem infeſtant, relinqui: quæ vero nihil moleſtant, detrahi. Magnitudinem porro cucurbitæ, quæ commoda ſit juxta corporis partes, quibus admovere oportuerit, conjectare oportet.

Cum vero pertundere voles, altius ſcalpellum adigere oportet. Sanguis enim ex locis manus

opera diſſectis, conſpicuus profluere debet. Alioqui ne circulum quidem adtractum pertundere oportet. Laborantis namque loci caro contenta magis eſt Gladiolis autem incurvis, in ſummo non valde anguſtis utendum eſt. Aliquando enim ſeroſi ac ſanioſi humores viſcoſi, ac craſſi veniunt: periculum igitur eſt, ne in inciſuris ſubſtent, ubi arctæ fuerint incuſſæ.

Porro venas in brachiis funiculorum adprehenſionibus conſtringere oportet: caro enim contegens, in multis non probe coaptata eſt venæ: ubi enim lubrica fuerit caro, non contingit ſectiones utrorumque juxta ſeipſas fieri. Nam venam contectam intumeſcere contingit, & ſanguinis fluxum impediri, multis vero etiam propter hoc pus congregari. Quapropter duo nocumenta talis chirurgia inducit; ſecto quidem dolorem; ſecanti vero multam ignominiam. Idem in omnibus venis fieri præceptum eſt. Hæc quidem igitur neceſſaria ſunt in officina Medica inſtrumenta, & circa quorum uſum artificioſum eſſe oportet addiſcentem. Volſellis enim quibus tum dentes, tum columellæ comprehenduntur, quilibet uti poteſt: ſimplex enim uſus harum eſſe videtur.

CAPUT V.

De tuberculis & ulceribus, ac de ulcerum viis quatuor.

CÆterum de tuberculis, & ulceribus, quæ majorum morborum ſunt, amplius videndum eſt. Tubercula equidem deprehendere, & diſſolvere poſſe, maxime artificioſum habetur, itemque collectiones ipſorum impedire. At conſe-

quens eſt, ea in conſpicuum & quam breviſſimum locum contrahere, & compagem ipſam æqualem per totum tuberculum facere. Ubi enim inæqualiter ſe habuerit, periculum eſt, ne rumpatur, & ulcus ægre curabile reddatur; exæquare itaque oportet, ſimiliterque totum maturum facere, & neque prius diducere, neque ſinere, ut ſponte rumpatur. Quæ vero maturum facere æqualiter poſſint, in aliis libris relata ſunt.

At vero ulcera quatuor vias habere videntur: unam in profundum, hæc autem ſunt fiſtuloſa, & & quæ ſub cicatrice ſanie plena ſunt, ac intus excavata; alteram in altum, quæ videlicet carne ſuperexcreſcunt; tertia via eſt in latitudinem, hæc autem ſunt, quæ ſerpentia dicuntur; quarta via eſt quæ ſola ſecundum naturam motus videtur. Carnis itaque calamitates hæ ſunt, omnes autem communem rationem habent ad hoc, quod ipſis conducit: & ſigna quidem horum in aliis relata ſunt, itemque qua utendum ſit cura. Per quæ autem id, quod coaluit, ſolvatur, vel quod carne excreſcente repletum eſt, aut cavum evaſit, aut quod in latitudinem iter fecit, de his ſigna in aliis dicta ſunt.

CAPUT VI.

De facultate & uſu cataplaſmatum, militiam chirurgis utilem eſſe; ac de telorum extractione.

AMplius vero de cataplaſmatibus ſic res habet. Ubicunque linteorum, quæ imponuntur, uſum in morbo exquiſitum eſſe oportet, ipſi ſane ulceri linteum, quod adponitur adcomodato Cataplasmate vero per ambitum ulceris utitor; nam

nam hic uſus cataplaſmatis & artificioſus, & multum prodeſſe poteſt. Videtur enim ulceri opitulari vis eorum, quæ circumponuntur; linteum autem conſervare: verum partibus extra vulnus circum ſitis cataplaſma prodeſt. Talem igitur ipſorum uſum eſſe oportet.

Porro de temporum occaſionibus, quando ſingulis horum utendum eſt, & quomodo præſcriptorum vires condiſcere oporteat, in præſens relictum eſt; talia enim longe præſtantiſſima in ſtudio Medicinæ ſunt, & procul in arte jam progreſſi exſiſtunt. His conſequens eſt chirurgia vulnerum in militia acceptorum, circa extractionem telorum. Nam in urbanis converſationibus modicus horum uſus exſiſtit. Raro enim per omne tempus civiles, ac hoſtiles expeditiones fiunt; hujusmodi autem ſæpe ac freqentiſſime circa externas militias fieri ſolent. Qui igitur hac chirurgia uti volet, eum militare oportet, & externos exercitus ſequi. Sic enim exercitatus fieri poterit ad ejusmodi uſum ac neceſſitatem.

Quod vero circa hæc artificioſiſſimum eſſe mihi videtur, referetur. Etenim ſigna exquirere ac invenire telorum in corpore exſiſtentium, maxima artis & chirurgiæ huc pertinentis pars exſiſtit. Ubi enim hoc cognitum fuerit, non relinqui poteſt vulneratus ex ignorantia neglectus, ſi quando non convenienter tractetur. Solus autem is, qui ſignorum peritus eſt, hanc chirurgiam rite adgredietur. Verum de his omnibus in aliis ſcriptum habetur.

DE DECENTI HABITU LIBER.

PRÆFATIO.

Undique ſpurius liber. Neque veteribus dictus, Medicum eumdem philoſophum eſſe. Medicamentorum purgantium, incidentium, potionum, & inſtrumentorum adparatum præſentem requiri.

ARGUMENTUM LIBRI.

Medicus hic inſtruitur de iis omnibus, quæ illi apud ægrotum obſervanda ſunt, ut doctus, prudens, ſedulus, ac pervigil habeatur.

CAPUT I.

Sapientiæ utilitas; Medicorum verorum ac falſorum differentia, ac notæ.

NON ſine ratione faciunt, qui ſapientiam ad multa utilem eſſe prætendunt, eam videlicet, quæ in communi vita verſatur. Multæ enim ad ſuperfluam curioſitatem factæ adparent, dico autem eas, quæ de nulla re utili diſſerunt. Adſumi autem utique poſſunt etiam harum partes ad illas, vel propterea quod neque ceſſatio eſt,

neque malitia. Otium enim & ignavia tendunt ad malitiam, atque abducunt: vigilantia vero & mens ad aliquid intenta trahunt ad ſe quid eorum: quæ ad vitæ honeſtatem pertinent, etiam ex diſputationibus nihil utile ſpectantibus. Gratioſior eſt enim ſapientia, & ad quid aliud ſane, ad artem conſtitutam, artem autem ad dignitatem & gloriam comparandam. Omnes enim non cum turpi lucro & turpitudine ſunt, & illis methodus quædam eſt artificialis, quæ operatur; quod ſi non innocenter fiat, proſcribitur. Adoleſcentes enim in ipſos incidunt, verum in vigore conſtituti, præ pudore, eorum conſpectum ſine ſudore non ſuſtinent, (pro idiotis habent.) At ſenes effecti, propter amarulentiam, eos publica legum ſanctione urbibus expellunt. Ii enim conventu facto ambitioſa & quæſtuoſa ſua profeſſione decipientes, in urbium circulis verſantur.

Cognoverit autem quis ex veſtitu, & aliis lineamentis. Quamvis enim ſint ſplendide ornati, multo magis fugiendi ſunt, & a conſpicientibus odio habendi. Qui vero contrario modo ſe gerunt, frugi homines judicandi ſunt, quibus non eſt excogitatus adparatus, neque ſuperflua curioſita. Ex veſtitu enim cognoſces, & decenti in ipſo ornatu ac frugalitate, non ad ſuperfluitatem parato, ſed magis ad bonam opinionem, & meditationem, animumque intra ſe compoſitum, & ad profectionem: imo quocunque veſtitu ac ornatu, tales ſunt minime diffluentes nec curioſi amarulenti ad occurſus; adpoſiti ad reſponſiones; graves adverſus reſiſtentes; ad ſui ſimiles ſolertes, affabiles, temperati ad omnes; ad ſeditiones taciturni, ad reſpondendum arguti & tolerantes; in occaſione captanda & noſcenda prudentes, in victu frugales & paucis contenti; patientes in occaſione ex-

pectanda, ad ſermones expediti; omne demonſtratum proferentes; ſuaviloquentia utentes; gratiis affecti; & pro gloria, quæ inde provenit, decertare parati, doctrinam ſuam ad veritatis lucem repurgantes.

CAPUT II.

De Naturæ cum ſapientia copulatæ præſtantia, & Medicum eſſe non verbo, ſed opere.

HOrum igitur, quæ ante diximus, præſtantiſſima quidem dux eſt natura. Nam ſi his, qui artibus animum adplicant, hæc adfuerit per omnia prædicta penetrare poterunt. Incognita enim utilitas, tum in ſapientia, tum in arte adhibita, ad principium capiendum edoceri poteſt. Natura autem defluit, & confunditur cum ſapientia, ad cognoſcendum ea, quæ ab ipſa natura facta ſunt. Etenim in utrisque ſermonibus multi convicti, nullatenus utrisque rebus uſi ſunt ad demonſtrationem.

Poſtquam igitur quiſpiam ipſorum expenderit ad veritatem ea, quæ retulimus, nullatenus naturæ bona ipſis procedent. Comperiuntur itaque hi non conſimili cum illis via progreſſi. Quapropter denudati, omnem induunt malitiam ac ignominiam. Honeſtus eſt enim ex opere, quod quis effectu edocuit ſermo. Quidquid enim artificioſe factum eſt, ex ſermone productum eſt. Quidquid autem artificioſe dictum eſt, non autem factum, methodi inartificialis demonſtrativum eſt: Nam putare quidem, non autem facere, ignorantiæ & inertiæ ſignum eſt. Opinio enim maxime in medicina in crimen vertitur eam adhibentibus: his vero, qui ea in ſe uſi ſunt, perni-

ciem adfert. Etenim ſi ſibi ipſis in ſermonibus perſuaſerint, & opus ex diſciplina ſe ſcire putaverint, quemadmodum aurum adulterinum in igne probatum, tales ſeipſos eſſe demonſtrant. Quamquam talis prædictio iis, qui cognatam habent naturam, ad intelligentiam nullius eſt ſolatii, quod finis quam rectus ſit, cognitio indicet. At horum arti tempus expeditam viam conſtituit, aut his, qui in conſimilem viam incidunt, occaſiones manifeſto ſuppeditat.

CAPUT III.

Quæ ſapientiæ & Medicinæ communia, ſocietatis utriusque cauſæ.

QUAPROPTER oportet eum, qui ſingula prædicta collegerit, ſapientiam transferre ad Medicinam, & Medicinam ad ſapientiam. Medicus enim Philoſophus eſt Deo ſimilis. Neque enim multum in cæteris rebus differunt. Nam omnia, quæ ad ſapientiam requiruntur, inſunt in medicina: argenti contemptus; verecundia; erubeſcentia; modeſtia in veſtitu; auctoritas; judicium; affabilis occurſus; munditics; ſermo ſententioſus; cognitio in vita utilium, ac neceſſariarum purgationum; averſio a nundinatione, & a ſuperſtitione; dignitas divina. Habent enim, quæ faciunt ad perſpiciendam incontinentiam, illiberalem profeſſionem, avaritiam, concupiſcentiam, rapinasque ac impudentiam. Hæc enim eſt cognitio accedentium, & uſus eorum, quæ ad amicitiam pertinent, & quomodo ad liberos, ac quascunque res ſe gerere oporteat. Quatenus igitur cum hac ſocietatem habet, ſapientia quæ-

dam eſt; nam & plurima ex his etiam Medicus habet. Etenim ſcientia de diis vel maxime animo ipſius implexa eſt.

Tum vero in aliis adfectionibus & in ſymptomatibus medicina erga Deos valde reverenter ſe habere comperitur; medici vero Diis cedunt. Non enim eſt potentia in ipſa redundans, nam & hi multa quidem adgrediuntur, in multis vero ab iis ſuperantur. In quibus vero nunc rebus ſuperior ſit Medicina, hinc exhibebit. Quæ enim via ipſius ſit in ſapientia, hactenus dictum eſt. Nam & illis ipſis hoc modo ſe res habet. Verum hoc alii non credunt cum in confeſſo ſint, ea quæ circa corpora fiunt, & adveniunt, quæ ſane per omnem ipſam artem procedunt, dum illa transformantur, aut permutantur; quæ partim chirurgia ſanat, partim auxiliis & medelis aut victu curantur. Summa vero horum omnium tendat ad horum cognitionem.

Quum igitur relata omnia tali modo ſe habeant, convenit, ut Medicus urbanitatem quandam ſibi adjunctam habeat. Auſteritas enim & ſanis, & ægris difficilem acceſſum præbet. Maxime autem obſervare ſe ipſum convenit, ne multas corporis partes oſtendat, neque cum imperitis multa confabuletur, ſed neceſſaria. Hoc enim vis quædam ad eliciendam curationem eſſe ſolet. Horum vero nihil neque nimis curioſe, neque pro lubitu agat.

CAPUT IV.

Medicum omnis generis inſtrumenta parata habere oportet, & quæ ſufficiant in peregrinatione.

HÆC vero omnia conſiderato, quo tibi præparata ſint ad abundantiam, prout opus erit. Sin minus, inſtante neceſſitate ſemper penuria fuerit. Meditari autem oportet hæc in medicina, cum omni adparatu, de contrectatione, illitione, & perfuſione, ad manuum concinnitatem: de linamentis vulſis, de ſpleniis, de ligamentis, de his, quæ pro re nata opus erunt de medicamentis tum ad vulnera, tum ad oculos & ex his ea, quæ ad ſingula genera, referuntur: quo tibi præparata ſint, & inſtrumenta, & machinæ, & ferramenta denique: nam in his penuria detrimentoſa eſt, & artem mancam facit.

Sit autem tibi alter adparatus ſimplicior ad peregrinationes inſtructus, ad manus promptus. Expeditiſſimus autem per methodi rationem, neque enim fieri poteſt, ut Medicus omnia percurrat. Firma item memoria teneto medicamenta, & ſimplices facultates, & deſcriptas, ſi modo tales exſtant: Sint & in memoria tibi morborum curationes, & horum modi, quot, & quo modo in ſingulis ſe habeant. Hoc enim principium eſt in medicina, & medium, & finis. Præparata quoque tibi ſint malagmatum genera ad ſingulos uſus. Potiones quæ incidere poſſunt, ex deſcriptione præparatæ juxta genera. In promptu ſint, & quæ ad medicationem pertinent, ad purgationes, ſumpta de locis congruis, & parata eo, quo convenit modo, juxta genera, & magnitudines, ad vetuſtatem ferendam curata. Recentia vero juxta temporis occaſionem, & alia juxta rationem.

His autem tibi præparatis hoc commodi erit, ut ubi ad ægrotum introieris, animo incertus non ſis, quum adpoſite habeas ſingula ad id, quod faciendum eſt. Antea vero hoc cognitum habeas, quod facere oportet, quam ad ægrum in-

grediaris. Pleraque enim non ratiocinatione, ſed auxilio opus habent. Itaque eventum experientia prædicere oportet. Eſt enim hoc glorioſum, & facile cognoſci poteſt. In ingreſſu vero meminiſſe convenit & ſeſſionis, & habitus ſubmiſſi, amictus compoſiti, auctoritatis, breviloquentiæ, ut nihil cum perturbatione facias, adſeſſus, diligentiæ, reſponſionis ad ea, quæ occurrunt, & ad tumultus obortientes compeſcendos, conſtantiæ apud teipſum, increpationis ad turbas caſtigandas, promptitudinis ad miniſteria. Et ad hæc memor ſis primi apparatus. Sin minus, reliqua citra errorem fiant, quæ ad promptitudinem parandam præcipiuntur.

CAPUT V.

Quæ medico apud ægrotum advertenda; ubi prudentia advertitur, ſedulitas, vigilantia.

INGRESSU utere frequenter, viſita diligentius, his, quæ a deceptis per errorem fiunt occurrens, ut mutentur. Facilius enim cognoſces, ſimulque expeditior eris: inſtabilia enim ſunt, quæ in humidis conſiſtunt. Quapropter etiam facile & a natura & a fortuna tranſmutantur; neglecta enim ea, quæ in ipſa occaſione adminiſtrare oportebat, impetu ſuo progreſſa occupant, ac perimunt; non enim eſt quod opem ferat. Multa enim ſunt, quæ ſimul mali aliquid faciunt; nam quod ſingulatim conſequenter (fit) oportunius & experientiæ accommodatius eſt.

Obſervare autem oportet ægrotorum errores, ex quibus multi fruſtrati ſunt in oblatis adſumendis, quandoquidem exoſis ſumptis potionibus,

aut medicationibus, aut curationibus, peremti ſunt. Et factum quidem hoc non ad ipſorum confeſſionem vertitur, verum Medico culpa imputatur.

Conſiderare vero oportet etiam decubitus, quosdam ex ipſis juxta anni tempus, quosdam juxta genera; quidam enim in ſublimibus, alii in ſubterraneis, ac tenebroſis locis decumbunt.

CAPUT VI.

Strepitus & odores vitandos eſſe, prudentiam Medicum decere, indoctis ægrum non committendum.

STREPITUS quoque, & odores maxime vini, deterior enim hic eſt, fugere ac permutare oportet. Et omnia hæc facere placide, expedite cum miniſterio, ita ut pleraque ægroto occultes, & hilari ac ſereno vultu ipſum conſoleris, quo a ſuis illum cupiditatibus avertas, ſimul cum amarulentia, & contraria inſtantia increpando, ſimulque cum exhortatione, ac dexteritate ſuſcipiendo, ac conſolando; non tamen, ut quidquam futurorum, aut præſentium ipſi indices. Plerique enim ob hanc cauſam in utramlibet partem compulſi ſunt, propter relatam videlicet prædictionem præſentium, aut futurorum.

Sit autem ex diſcipulis aliquis præſens, quo præceptis non amarulente utatur, & quod mandatum eſt, faciat. Deligito autem ex ipſis eos, qui jam in arte progreſſum fecerunt, quo ea, quæ utilia ſunt exhibeant, aut ſecure offerant, ut & in intervallis nihil te lateat.

At vero imperitis nunquam quidquam committas; ſin minus ejus, quod male factum eſt, re-

prehenſio in te recidet. Si non ambigue res habeat, ex quibus id, quod recta methodo tractatum eſt procedat, & vituperationem tibi non adferet, ſed & quod factum fuerit, ad genus refcretur. Proinde omnia hæc prædicito in his, quæ fiunt, his quibus ea cognoviſſe propoſitum eſt. His igitur ita habentibus, ad bonam exiſtimationem ac decentem ornatum, & in ſapientia, & in medicina, & in aliis artibus oportet medicum diſtinctis partibus, de quibus diximus, ſemper utraque amictum, conſervare, ac cuſtodire, & opere ipſo cum cæteris communicare. Quum enim apud omnes homines inclyta ſint, conſervantur. Et qui per ipſa procedunt, celebres ſunt apud parentes & liberos. Et ſi quidam ipſorum non multa cognitione præditi ſint, ab ipſis tamen rebus ad intelligentiam deveniunt.

HIPPOCRATIS PRÆCEPTIONES.

PRÆFATIO.

Spurius liber, non ineptus tamen, cujus principium & finis ex Hippocrate *ſumtus eſſe videatur, cujus etiam brevitatem referat & gravitatem. Præcepta dat, quomodo medicus ſe gerere debeat ratione mercedis, medicamentorum & victus: quomodo etiam cum aliis medicis debeat agere. Adparet eo jam tempore medicaſtrorum fuiſſe vilitatem.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Breves quædam præceptiones hic continentur, quibus ad artem medendi tum adipiſcendam, tum exercendam, Medicum inſtruit.

CAPUT I.

De tempore, occaſione, curatione, exercitatione; ratiocinatione, experientia, recordatione, naturam moveri, ac doceri; ac rationem ſolam in curationibus non ſatis eſſe.

TEMPUS eſt, in quo occaſio: occaſio vero in qua tempus non multum. Medicatio tempore, aliquando etiam occaſione contingit. Hæc ſane noſſe oportet, & non ratiocinationi prius probabili intentum medelam adgredi, ſed exercitationi cum ratiocinatione. Ratiocinatio enim memoria quædam eſt, componens ea, quæ ſenſu percepta ſunt; evidenti namque imaginatione concepta eſt; ſenſus enim prius adficitur, & res ſibi ſubjectas ad cogitationem remittit. Hæc vero ſæpe illas excipiens, quæ, quando, qualiter ſint, iſta obſervans, & in ſe ipſam recondens, memoria retinet. Igitur collaudo quidem etiam ratiocinationem, ſi quidem ex fortuita occaſione initium faciat, & deductionem ex adparentibus methodo perſequatur. Si enim ex his, quæ manifeſto perficiuntur, ratiocinatio initium duxerit, in mentis potentia ineſſe deprehendetur, cum ipſa ab aliis ſingula accipiat,

Proinde ſtatuendum eſt, naturam a multis ac omnigenis rebus, neceſſitate quadam ſubeunte, moveri ac doceri. Mens autem ubi ab ea accepit, ut ante dixi, poſtea ad veritatem perducit. Si vero non ex evidenti impreſſione, verum ex probabili rationis figmento procedat, ſæpe gravem & moleſtam infert adfectionem. Tales autem inviam arripiunt viam. Quid enim unquam eſſet damni, ſi mercedem auferrent illi, qui publice medicinæ opera perperam exercent? Nunc vero immerentibus ægrotis, quaſi non ſufficere videretur morbi vis, niſi accederet Medici imperitia. Itaque de his quidem hæc dicta ſint ſatis.

Verum non ex iis, quæ ſola ratione concluduntur, fructum adſequi eſt; ſed ex iis, quæ opere demonſtrantur. Fallax enim eſt, & ad errorem proclivis aſſeveratio, quæ eſt cum garrulitate conjuncta. Quapropter, ut in univerſum dicam, iis, quæ fiunt, inhærere oportet, & circa hæc vel maxime verſari, ſi quis facilem ac minime inculpatum habitum (quem ſane Medicinam appellamus) ſibi comparare volet: valde namque magnam adferet utilitatem tum ægrotis, tum his, qui ipſos curant. Non tamen cunctandum eſt ab idiotis ſciſcitari, ſi quid ad curationis opportunitatem conferre videatur. Sic enim cenſeo univerſam artem commonſtratam eſſe, quod ſingula ex ſuo fine obſervata, & conſonantia idem aggregata fuerint.

CAPUT II.

Præcepta de occaſione fortuita, mercede paciſcenda, & ægri curatione ſuſcipienda.

ADTENDERE igitur oportet fortuitæ occaſioni, quæ plerumque ſe offert, & ei, quæ

cum utilitate ac lenitudine potius ſit, quam cum pollicitatione & facti excuſatione. Utilis quin etiam eſt eorum, quæ ægroto offeruntur, varietas, & præfinitio. Non enim adſeverare oportet, quod unum aliquod exhibitum (remedium) profuturum ſit. Omnes enim adfectiones ob multas circumſtantias & mutationes diuturniore quadam mora adſident.

Præterea ſuadendum, hoc quoque diligenti conſideratione opus habere: ſi nempe a mercede initium duxeris. Id enim toti negotio aliquid confert; ægroto quidem cogitationem immittes, te non, ipſo relicto, abiturum. Si vero non paciſceris (cogitationem immittes) & quod ipſum negliges, & quod, quæ præſentem ad rem faciant, non ſis ſubminiſtraturus. Studium itaque adeſſe debet de conſtituenda mercede. Incommodam putamus eſſe hanc cogitationem dum æger adflictatur, maxime in morbo acuto. Morbi enim celeritas cum nullam ad regreſſum opportunitatem præbeat, probum medicum impellit, non ad ſuam utilitatem quærendam, ſed ut potius ſuæ exiſtimationis rationem habeat. Itaque ſatius eſt morbo liberatis exprobrare, quam lethaliter adfectos emungere. Et ſane ægroti quidam hoſpitii jus, & notitiam anteferri poſtulant; digni quidem ſunt, qui negligantur, non tamen pœna, qui ita judicant. Proinde his, uti decet, occurres in ſalo inconſtantiæ fluctuantibus. Qui enim verus eſt Medicus, is hercle fide magis, quam duritate in medendo utetur. Adeo ut & per initia toto adfectu cognito, quædam ad curationem conferentia ſubminiſtrare oporteat, ægrumque ad finem usque curare, & non negligere.

At vero remunerationem ne exigito, absque cupiditate ad diſcendum ſpectante; hortor autem,

ne nimiam inhumanitatem adhibeas, ſed ad opum abundantiam, facultatesque reſpicias: interdum autem gratis cures, imprimis grati animi memoriam habens, aut præſentis bonæ exiſtimationis. Si vero occaſio ferendæ opis ſe obtulerit, & peregrino & egeno, maxime opituleris. Si enim adfuerit benignitas, erga artem amor parabitur Quidam enim ægroti licet ſentiant ſe periculoſo implicari morbo, tamen propter Medici benignitatem ſibi perſuadent ſe ſanitati reſtitui poſſe.

Convenit autem ægrorum curam ſuſcipere ſanitatis gratia; at ſanorum, ut ſine morbis vivant Quin & ſanorum cura gerenda eſt decori cauſa.

CAPUT. III.

Qui Medici Præceptionibus percipiendis apti, qui inepti; duplex ægrorum error; Medicorum conſilia probanda, contentiones vitandæ.

CÆterum qui in profundo ignorantiæ artis verſantur, prædicta non capiunt. Hi enim imperiti Medicinæ, artis dedecora in ſummum e veſtigio elati a fortuna quidem pendentes; fortunæ tamen egentes a divitibus quibusdam & ægrotis exordium ſumunt. Utrique ob felicem ſucceſſum nominis celebritatem adepti, & in pejus delabentes, luxu diffluunt, ea, quæ artem inculpabilem reddunt, negligentes, ex quibus tamen bonus Medicus excellit, & ſocius artis appellatur Hic autem medicationes facile ſine ullo errore perficiens, in nullo horum peccarit, ne in ſumma quidem facultatis inopia. Neque enim fraudulentus eſt, velut qui injuſte ſe gerunt. Enimvero ad medicationem non accedunt, pericu-

loſam adfectionem captando, aliorum medicorum introductionem cavendo; laudantes ſe cum improba deteſtatione aliorum auxilii.

At ægri morbo conflictati, natant in utraque improbitate, quod ſe ipſos potiori in arte medendi non dederint ad morbi usque finem: morbi enim remiſſio magnum ægro effugium præbet, adeo ut quamvis ſanitatem expetant, uſum tamen eorundem remediorum inire nolint, Medici varietatem imitantes. Sumptuum enim facilitate ægroti carent, nefariis moribus primum venerantes (medicum), mox ingrati evadunt. Cum vero contingere poſſit, ut facultaribus abundent, circa mercedem difficiles ſeſe præbent, cum revera ſani evadere cupiant, ſumta occaſione ex fœnoris & agriculturæ quæſtu, ac deinde de ipſis quæſtum facere negligentes. Ac de tali admonitione hæc ſatis ſunto. Ægroti enim remiſſio & intentio, Medici adminiſtrationi moderantur.

Nec vero indecore ſe ille geret Medicus, qui in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente, alios quoque arceſſi juſſerit, quo ex communi conſideratione res ad ægrum pertinentes cognoſcantur, & ſimul conferant ad auxilii facultatem. Nam in adflictionis aſſiduitate augeſcente morbo ob conſilii inopiam plurima ab adſidente Medico prætermittuntur. In ejusmodi igitur temporis occaſione non nimium ſibi fidendum eſt. Nunquam enim ego quid tale definiam, quod ars ipſa decrevit.

Verumtamen neque de hoc cum conviciis decertandum, ne ſeipſos ludibrio præbeant. Hoc enim ſancte adfirmare auſim, Medici ratiocinationem alteri nullam invidiam adlaturam: imbecillis enim hoc pacto videretur. Sed facilius hæc faciunt hi, qui negotiis forenſibus dediti ſunt.

Neque enim hoc perperam animadverſum eſt; cum in omni copia, inopia inſit.

CAPUT IV.

Quod Medicus ægrum ſpe erigere, naturam ſeu bonum habitum ſervare, ſudaria, ac odores, comptam ac poeticam orationem vitare debeat.

CÆterum præter jam dicta omnia, magnum indicium ſolidæ artis fuerit, ſi quis recte medicinam faciens, ægros hortari non deſinat, ne nimium angantur animis, dum ad ſalutis tempus pervenire feſtinant. Hoc enim incommodum putamus, & qui ita præceperit, non aberrabit. Ipſi enim ægroti propter dolorificam adfectionem deſperantes ſe ipſos vita exſuunt; qui vero ægrum ſibi commiſſum habet, ſi artis inventa demonſtraverit, conſervans, non mutam naturam, præſentem fructum feret, aut ſtatim diffidentiam. Probus enim hominis habitus natutura quædam eſt, quæ motum non alienum ex natura acquiſivit, ſed valde congrua eſt, & ſpiritu, & calore & humorum concoctione undiquaque & univerſa victus ratione, aliisque omnibus compoſita & conſtructa: niſi quispiam ex ortu, aut ab initio defectus fuerit. Si vero etiam quis fuerit, is ſi exilis eſt, conandum eſt, ut ſubjectæ naturæ adſimiletur. Præter naturam eſt, quod diminutum eſt, etiam per tempus.

Fugienda & porro eſt frictio per lintea ſudatoria ad parandam medendi auctoritatem; itemque odor curioſe adſcitus. Propter multam enim peregrinitatem in calumniam incides: propter modicum vero decorem tibi conciliabis. In parte enim dolore exiguus eſt, in toto multus.

Com-

Comitatem autem non tollo: digna enim eſt auctoritate medica. Applicationis etiam inſtrumentorum, & demonſtrationis eorum, quæ ſignificant, reliquorumque ejusmodi memoriam adeſſe oportet.

Si vero etiam vulgi cauſa diſſertationem facere velis, ne valde glorioſe id captes, neque tamen cum oſtentatione poëtica fiat; impotentiam enim oſtendit induſtrii laboris. Averſor enim ad alium uſum transferri induſtriam cum labore partam, quæ per ſe ſola, ut eligatur, grata ſit. Habebis enim fuci in morem cum deducentium turba paratam moleſtiam.

CAPUT V.

Præcipit Medico decorum, continuam exercitationem, & præſcriptionem diætæ idoneæ.

OPtanda etiam eſt ejusmodi diſpoſitio, ut non ſero didiceris. Quod quidem præſentium nihil perficit; abſentium vero memoria tolerabilis eſt. Contingit itaque omnia tentans infelicitas cum juvenili peſte, quæ decoram negligit tum in definitionibus, & denunciatione, tum permagnis juramentis Deorum cauſa factis, dum Medicus morbo præeſt, aſſidua recognitione, & eruditione imperitorum, qui animo fluctuant, ac figuratos ſermones imitantur, & antequam morbi compos factus ſit, congregantur. Talibus igitur ubi præeſſem, non certe de curandi ratione cum illis conferrem: verum auxilium audacter implorarem. Honeſtæ enim cognitionis intelligentia apud hoſce diſperſa reperitur. Cum igitur hi neceſſario indocti ſint, moneo ipſis utilem eſſe

exercitationem, cum ſcientiæ præceptis deſtituantur. Quis enim præceptionum varietatem ſe vere cognoſcere poſſe ſperet, citra exercitationis conſtantiam? Quapropter ipſos moneo, ut dicentibus quidem aurem præbeant; facientibus autem incumbant.

Contractæ victus rationi ne diu inſiſtas. Diuturnam enim ægri cupiditatem ſuſcitat, & indulgentia quoque morbum prorogat. Si quis coeco adſentiatur, ultra quam oportet, is velut res horrenda caveri debet. Gratiam quoque (præcipio) perquam concordia.

CAPUT III.

Præcepta concisa de aere, ætate, linguæ obſcuritate, de morbi imperturbatione, de criſi, de cauſa levi, de morbo, de exercitatione, de loco amœno.

AEris repentina turbatio vitanda. Ætatis vigor omnia habet jucunda, decreſcens vero contra.

At obſcuritas linguæ oboritur aut propter adfectum, aut propter aures: ut ſi priusquam priora enunciarit, alia inceptet: aut ſi quid prius, quam id, quod mente concepit, eloquatur, alia inſuper cogitet.

Quæ citra affectionem viſibilem appellatam contingit, ea illis maxime evenit, qui artium ſtudio tenentur. Ætati etiam, cum parva ſit res, valde magna vis ineſt.

Morbi idem ſtatus diuturnitatem portendit. Criſis autem morbi ſolutio eſt. Exilis cauſa curationibus ſolvitur, niſi quis præcipuus locus adfectus ſit. Quandoquidem ex dolore per con-

ſenſum exortus adfectus adfligit, quidam per alterius ſocietatem vexantur. Vociferatio dolore adficit. Præ laboris vehementia indulgens conceſſio. Locus amœnus utilitatem adfert.

DE LEGE LIBER.

PRÆFATIO.

Ab antiquis paſſim receptus, à MERCURIALI *rejectus; aliqua habet de Medici inſtitutione, ex quibus colligas, medicos eo ævo vicos obire ſolitos.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Medicinam per ſe clariſſimam, quid viliſſimam reddiderit; quæ item ad ipſius perceptionem requirantur, ſigillatim proponuntur.

MEDICINA omnium equidem artium præclariſſima eſt; verum propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, & eorum, qui temere eos tales eſſe judicant, omnibus jam artibus multo inferior eſt. At is error hanc potiſſimum cauſam habere mihi videtur, quod ſoli Medicinæ nulla in urbibus pœna præfinita ſit, præterquam ignominiæ; ſed hæc non lædit eos, qui

cam ſibi familiarem habent. Simillimi namque hujus modi ſunt perſonis, quæ in tragœdiis introducuntur. Quemadmodum enim illi formam quidem veſtem ac faciem hiſtrionis induunt, neque tamen hiſtriones ſunt: ſic & Medici fama quidem multi, re autem aç opere perpauci.

Oportet enim, quicumque Medicinæ ſcientiam ſibi vere & apte comparare volet, horum eum compotem fieri: naturæ, doctrinæ, loci ſtudiis apti, inſtitutionis a puero, induſtriæ, ac temporis.

Enimvero primum omnium natura opus eſt. Natura namque repugnante irrita ſunt omnia. Natura vero ad optimum quodque deducente, artis doctrina paratur, quam ſane cum prudentia adſequi oportet, ita ut a puero inſtitutio accedat, atque in loco a natura ad diſciplinam apto. Ad hæc induſtriam per multum tempus adferre, quo diſciplina veluti ingenerata proſpere, cumque bono incremento fructus afferat. Qualis enim eorum, quæ in terra producuntur, conſideratio: talis & Medicinæ diſciplina eſt. Natura namque noſtra velut ager; doctorum præcepta velut ſemina ſunt. Inſtitutio a puero ceu ſatio, qua per opportunum tempus ipſa ſemina terræ mandantur. Locus autem, in quo ars traditur, ambienti aeri reſpondet, qui vegetis ſtirpibus alimentum ſuppeditat. Induſtria vero agricultura eſt. Tempus denique hæc omnia, quoad plane adoleverint, confirmat.

Hæc ad medicinam neceſſaria adſecutos & veram illius cognitionem adeptos, cum hoc modo urbes obierint, non verbo ſolum, ſed etiam opere Medicos haberi decet.

At imperitia malus theſaurus, malæque opes reconditæ ipſam poſſidentibus, & inſomnium, & ſomnium verum, & ſecuritatis animi & lætitiæ

expers, ac timiditatis & audaciæ nutrix. Ac timiditas quidem impotentiam: audacia vero artis ignorantiam præ ſe fert. Duo ſunt enim ſcientia & opinio; quarum illa quidem ſcientiam, hæc vero ignorationem facit. Cæterum res ſacræ ſacris hominibus communicantur: profanis vero nefas, priusquam ſacris ſcientiæ orgyis initiati fuerint.

DE JURE JURANDO
LIBER.

PRÆFATIO.

STATUTA ſunt artis medicæ, quæ diſcipulus recipere debebat, & jurejurando confirmare. Continet præcepta de gratitudine adverſus Præceptorem, de innocentia medentis, de adminiſtrationibus chirurgicis gravioribus non curandis, qualis eſt calculi veſicæ ſectione, ut putes poſt diviſionem medicinæ in tres artes ſcriptum fuiſſe. Veteres receperunt, MERCURIALIS *rejicit.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Quæ Medici eſſe debeat erga ſuum Præceptorem obſervantia, & cultus; quæ vitæ integritas; quæ apud ægros præſtare, quæ vitare ipſum oporteat.

SECTIO.

JURO Apollinem Medicum, & Æſculapium, Hygejamque, ac Panaceam, & Deos omnes, itemque Deas teſtes adhibens, me ratum pro viribus, judicioque meo jusjurandum hoc, hancque conteſtationem effecturum. Præceptori quidem ei, qui me hanc artem docuit, peræque ac meis progenitoribus honorem præſtiturum, eique victum communicaturum, resque meas egenti impertiturum: ortos ex eo liberos germanis fratribus æquales æſtimaturum, eosque hanc artem, ſi addiſcere velint, absque mercede & pacto edocturum. Præceptionum ac narrationum, cæterorumque ad univerſam diſciplinam ſpectantium, tum meos, & ejus, qui me docuerit, filios, tum diſcipulos ſtipulatione conſcriptos, & lege medica ſacramento addictos participes facturum; alium præterea neminem.

Victus quoque rationem ad ægrotantium ſalutem pro facultate, judicioque meo adhibebo, noxam vero & maleficium propulſabo. Neque vero cuiquam venenum mortiferum etiam rogatus dabo, neque hujusce conſilii auctor ero. Simili autem modo neque mulieri peſſum abortivum concedam. Verum caſte, ſancteque vitam meam, meamque artem tuebor. Calculo vero laborantes

haud quaquam ſecabo ; ſed viris operatoribus hanc operationem obeuntibus relinquam. In quascunque autem ædes introiero, eas ad ægrotantium opem ingrediar: ab omni ſcelere voluntario & corruptela, tum alia, tum operum venereorum in corporibus mulierum, ac virorum, liberorum ac ſervorum procul remotus. At quæ inter curandum, aut etiam citra curationem in hominum vita vel videro, vel audiero, quæ foras nequaquam efferri oporteat, ea arcana eſſe ratus, ſilentio prætermittam. Hoc igitur jusjurandum mihi haud irritum facienti, neque violanti, tum vita & arte frui, tum meam gloriam apud omnes homines æterno tempore celebrari contingat. Transgredienti vero, ac pejeranti, his contraria eveniant.

LIBER DE HOMINIS STRUCTURA; AD PERDICCAM REGEM.

PRÆFATIO.

LATINE tantum exſtat: continet quatuor humores principes. Arteriæ ſpiritum accipiunt, cum ſanguine miſtum. Spinæ dorſi 24 *adſignat vertebras, inteſtina metitur. Ab anatome ad quatuor anni tempora tranſit, & aliqua ſuadet ad cujusque vitæ rationem.*

MUNDUS quatuor ex elementis conſiſtit, igne, aere, terra, & aqua, calido videlicet, humido, frigido, & ſicco. Iisdem ex elementis quatuor totidemque humoribus & homo conſiſtit, ſanguine ſcilicet, pituita, flava, & atra bili. Et ſanguis quidem aeri, pituita aquæ, flava autem bilis igni, atra vero terræ ſimilatur. Sanguis enim guſtu dulcis eſt: pituita, ſalſa: flava bilis amara: atra vero, acetoſa, & flaveſcens.

Sanguinis autem locus, & ſpiritus in corde eſt: a dextris quidem ejus ſanguis, a ſiniſtris vero ſpiritus conſiſtit. Flavæ bilis in jecinore, atræ in liene, pituitæ quidem in cerebro locus. Sanguis autem calidus, & humidus, pituita frigida & humida, flava bilis calida & ſicca, atra vero ſicca & frigida.

Arteriæ quidem a corde purum ſanguinem; & ſpiritum recipiunt. Venæ autem & ipſæ a corde ſanguinem ſumunt, per quas corpori diſtribuitur. Sed jecur cordi ſanguinem non præter veri fidem affatim ſuppeditat. Nam ignis absque materia permanere neutiquam poteſt.

Quo fit, ut nonnulli hominum ſemper quaſi rideant, quidam vero triſtentur: hujus rei ex elementis cauſſam eſſe dicimus. Qui enim puri ſanguinis non inexpertes ſunt, hi usquequaque rident, & adſpectu ac corpore floridi, necnon perſpicui coloris exiſtunt. Qui vero flavæ bilis participes ſunt, deſides, puſillanimes, pavidi, imbecilleſque eſſe ſolent. Pituitoſi vero inertes, & frigidi ſunt.

Reminiſci autem, & eſſe prudentia præditum, ex cerebro inter calidum, frigidumque admodum temperato provenit. Oblivio vero, ex cerebri frigiditate procedit. Paſſio autem, quæ phreneſis

nuncupatur, ex perurentibus febribus fit. Vaporibus enim, ex viſceribus per dorſum ad cerebrum emiſſis, ejus humidum areſcit, & homo mente captus efficitur: & cerebrum oleo quocumque frigidæ qualitatis per aures, vomitusque humectare oportet. Lethargus vero & ipſe cerebri paſſio eſt: cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc paſſio, quæ lethargus appellatur, hominem occupat: & calefacientibus cerebro opitulari expedit. Paralyſis vero fit a frigido, crudoque humore, qui a cerebro demiſſus in oculum, ſive in aliquam labiorum partem, ſeu in totam dimidiamve faciem deſcendit. Per nares cerebrum purgantia adhibere oportet, & extrinſecus iſobrium contuſum (*iſopyrum*) (herba eſt quæ & Maros, & Origanis dicitur) ignis ſuffitu ſeu cauteriis per aures applices.

Quæcumque autem paſſiones in capite fiunt, ex ſtomacho oriuntur, exempli cauſſa: vomicæ, ſtrumæ, dentium dolores, tonſillæ, angina, ſuffocationes, anhelitus difficultas, & reliqua.

Caput autem ſuturas habet tres: invenitur & ſolidum absque ſuturis caput, & hoc quidem humidum eſt. Criſpos vero capillos habere, calidioris capitis ſignum eſt. At recti crines ex ſupervacuo qui in capite eſt humore fiunt. Flavedo capillorum ex flava bile, calvities vero ex caliditate provenit. Articulatæ vocis ſpecies tres habentur, gravis, acuta, & media: hæc a ſpiritu procedunt.

Jecur autem ipſum alimentum triplici digeſtione in ſuccum redigit. Ex prima digeſtione cor alimenti qualitatem, ſaporem videlicet, ſuſcipit, & puri ſanguinis procreatio fit. Secundam digeſtionem jecur deſumit, & corporis partibus alimentum largitur, unde flavæ bilis conſtitutio fit,

Lien vero ex ſanguinis fece alitur, unde & melancholicum humorem conſtitui certum eſt. Cerebrum autem a ſtomacho humectatur, & pituitæ exuberantiam peragit. Tertia digeſtione alimentum ſuperne in ſtomacho in ſuccum vertitur, & tunc reſeratur janitor qui ventriculus nuncupatur, quoniam tranſitus tantum facultatem ſubminiſtrat. Inde alimentum in inferiorem ventrem demittitur. Alvus vero a pituita ciborum acerbitatis gratia oblectamentum ſentit. Humidum autem excrementum per renes, ac ſejunctos ipſius excrementi meatus in veſicam, id eſt in phuſcam deſcendit; in veſicam enim aqua ingreditur.

Senſus in homine quinque habentur, viſus, olfactus, auditus, guſtus, & tactus. Nam viſus ex æthere, olfactus ex aere, auditus ex igne, guſtus ex humido, tactus vero ex terra fit.

Homo autem ex quatuordecim quibusdam conſiſtit, nervis, venis, arteriis, ſanguine, ſpiritu, carne, adipe, cartilagine, unguibus, oſſibus, medullis, capillis, membranis, humoribus. Horum autem, excretiones, maribus quidem ſicco & humido excremento, vomitibus, oculis, naribus, ſputis, ſudoribus, venereis, incertis meatibus, capillis & unguibus fiunt.

Feminis vero ad hæc duo adduntur, purgationes, lactis videlicet, & menſtruorum. Lac autem & eodem modo genitale ſemen hominis ex ſanguine gignuntur, & hoc certum eſt: ſi enim homo genitali plus nimio utetur, ſanguinem pro ſemine emittet. Similiter autem & feminæ, ſi plus nimio lactare cogentur, ſanguis elicitur.

Spina autem hominis habet vertebras XXIV, coſtas totidem. Dentes cum maxillaribus duo ſupra XXX ſunt, anteriores autem dividentes, qui & ſecantes appellantur.

Stomachus palmos habet quinque, inteſtina cubitos tresdecim.

Nomina digitorum, Pollex, Index, Medius, Annularis, Auricularis. Ungues frigidi ſiccique temperamenti ſunt.

Anni vero tempora quatuor habentur, ver, æſtas, autumnus, & hyems. Ver calidum & humidum eſt; ideo ſanguinis in corpore incrementum fit. Æſtas calida & ſicca; ideo flavam auget bilem. Autumnus ſiccus & frigidus; ideo atram bilem, & ſaniem auget, ſanies quidem ſanguinea & aquoſa eſt. Hyems vero pituitam in corpore adauget. Nam quatuor hominis elementa, id eſt, humores, ad tempora quatuor dividuntur. Ideo ſolarem converſionem ſpeculari, & adfecti temperamentum, & ad hæc curationibus uti opus eſt. Si enim verno tempore juvenis adverſa premetur valetudine, ſanguinis exſuperantiæ cauſſa patitur, quem per venæ ſectionem emittere opus eſt. Et ſi pleureſi unius diei ſpatio, vel duorum, ſeu trium laboraverit, venæ ſectione adfecto opitulandum, priusquam ipſum opprimat paſſio, & adfecti vires deficiant. Homini vero venæ ſectio perutilis eſt: & tempus quidem quo ipſa utendum, a Februario incipit: & rurſus a Septembri principium ſumendo, ad ſeptimam ejusdem perduret. Æſtate aliquo ægrotante, ad paſſionis purgamina adhibenda.

Si conſiderantes (o Rex) & aliorum curam agentes, quid ad vitæ rationem corporibus præſtet, & quod congrue alimenta ſuggerat, ac debito adponat ordini, non ſatis pro diligentia noſtra, & qui humana adgrediuntur corpora, morbos deprehenderimus, nunc accuratius perſpicientes, ſummatimque deſcribentes, medicinalem ſphæram ad te mittimus, per quam ægritu-

dines, quæ humana corpora occupare ſolent, perноſcere, & ad præſentem horam, ac decurrentis anni tempora, hujusmodi calamitatibus opitulari queas. Si autem hæc accuratius egeris, diu citra omnem adverſam valetudinem per omne tempus vita frueris. Et ſi hæc quæ potiſſimum optimæ valetudini tuæ vim præbeant, quæque hominum generi conducant, peregeris; ita in omnibus te incolumem vitam deprehendes elegiſſe. Et quamvis ardua admodum ſphæræ ratio habeatur, eam tamen perſcriptam tibi præbemus.

A Vergiliarum occaſu ad hyemale ſolſtitium, dies 49 hoc eſt a XII Novembris, ad Decembris finem ſunt. Hi quidem dies pituitam augent: balneis autem jejunus, ſudores excitando, detergendoque, & venereis ac laboribus uteris.

Ab hyemali ſolſtitio, ad vernale æquinoctium, dies lXXXIV, a prima videlicet Januarii ad quintum ſupra XX Martii. Hi dies humiditatum, & ſanguinis exuberantiam peragunt: deambulationibus, & ſiccis quæ ad victum pertinent, deliciisque ac venereis, beneque alentibus utendum.

A vernali æquinoctio, ad Vergiliarum ortum, dies 49 a XXV Martii ad XIII. Maii. Hi dies ſanguinem augent: redolenti vino, & venereis, ac laboribus uteris.

A Vergiliarum autem exortu ad æſtivum ſolſtitium, dies 42 a tertiadecima Maii, ad XXIV Junii, hi enim dies flavæ bilis augendæ facultatem obtinent: dulcibus & aquoſis utendum, ducendæ alvi cura agenda, & a venereis, ac laboribus abſtinendum eſt.

Ab æſtivo vero ſolſtitio, ad æquinoctium autumnale, dies XCIII ab XXIV Junii, ad XXV. Septembris. Hi dies atram bilem augent: frigidis

& aquoſis, redolenti vino, ac ſalutis uti opus eſt; a venereis vero abſtinendum cenſemus.

Ab autumnali aquinoctio, ad Vergiliarum occoſum, dies 49 a XXV Septembtis ad XII Novembris, hi enim dies ſaniem augent, acetoſis, acerbiſque, & venereis, ac laboribus uti expediet.

Si ad hæc obſervanda curam, o Rex, impenderis, citra omnem triſtitiam, doloremque in reliquum vita frueris." Hac ſe diviſione ſic habente, annus in dies quinque ac ſexaginta ſupra trecentos colligitur.

DE NATURA HOMINIS.

PRÆFATIO.

Rhetorica deſcriptio partium humani corporis, in qua multa poſteriorem ætatem ſapiunt.

OMNES homines artem medicam noſſe oportet, o Hippocrates. (Eſt enim res honeſta ſimul ac utilis ad vitam) & ex his maxime eos, qui eruditionis ac eloquentiæ cognitionem habent. Nam ſapientiæ cognitionem medicinæ ſororem ac contubernalem eſſe puto. Sapientia enim animam ab adfectibus liberat. Medicina vero morbos a corporibus aufert.

Augeſcit autem intelligentia, præſente ſanitate: cujus providentiam habere honeſtum eſt eos qui recte ſentiunt. At ubi corporis habitus ægrotat: neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus enim præſens animam

vehementer obſcurat, intelligentiam ad adfectionem per conſenſum ducens.

Cæterum naturæ humanæ deſcriptio, ejuſmodi ſpeculationem habet. Cerebrum quidem ſupremam corporis partem cuſtodit, & ſecuritatis tutelam ſibi commiſſam habet, intra membranas nervoſas cohabitans. Super quod duplicatorum oſſium naturæ neceſſariæ firmatæ, dominum mentis cuſtodem, ipſum cerebrum tegunt.

Pilorum decor eſt, cutem ornare. Oculorum vero vis viſiva in multiplici tunica latitans, ob humoris inſtantias, ſub frontem in medelam collocata eſt, & eſt vivendi cauſa. Pupilla vero ſincera, palpebræ marginem opportunitatis cuſtodem ſuſtinet. Duplices autem nares olfpatum dignoſcentes, oculorum vicinitatem dirimunt. Mollis vero labiorum contactus os circumplicans, verborum ſenſum, exactamque articulationem gubernans exhibet. Mentum autem in extremitatem deſinens, ac lyræ ſimile, dentium clavis coaptatum eſt. At ſermonum receptacula aures, opifex aperuit: in quibuſdam eſt ſermo, non certus temeritatis miniſter exiſtit. Loquelæ mater lingua, animæ nuncius, guſtum cuſtodiens, munitis dentium ſeptis cuſtodita eſt. Guttur autem & gula inter ſe conjuncta, vicina ſunt. Illud enim in viam ſpiritus: hæc in profundum ventris alimentum demittit, large id propellens. Regium vero cor, cono ac pineæ nuci ſimile, iram nutriens, adverſus omnes inſidias thoracem induit. Frequenter autem flatuum cavernæ aere per ipſas erumpente, vocis cauſam flatum pariunt.

Quod vero ſanguinem ſuppeditat, alimentum tranſmutat, cum apicibus, ſæpe vena cava circumfluum, hepar eſt, concupiſcentiæ cauſa. Viridis autem bilis juxta hepar manens ubi ſuperebulliit

humani corporis corruptio eſt, & nocivus ac inutilis corporis humani inquilinus. Veruntamen vice verſa dormit, nullum negocium exhibens.

Inter hæc autem medius omnia ſuſcipiens venter chorum ducit, & accumbit, concoctionem gubernans. Obnoxia vero ventris compoſitioni, per opificium convoluta, circum ventrem evolvuntur inteſtina, adſumptionis & excretionis cauſæ. Gemini autem renes in coxis firmati, pinguedine intecti, ab urinarum excretione non ſunt alieni. At dominus totius ventris, qui omentum vocatur, totum ventrem complectitur, ſolo ſplene excepto. Conſequenter, nervoſa veſica in coxa oſculum firmatum habens venis complicatis, urinarum excretionis cauſa eſt. Huic autem vicina mater puerorum vehemens illud malum infinitarum ærumnarum in muliere cauſa, uterus ipſe latitat. Pylorus aurem ſive Janitor, ex coxarum receſſu emergens caro, nervis adſtringitur. Verum de plenitudine naturæ ventris effundit, ex opificii providentia.

Porro extra corpus penſiles domum incolunt, ad generationem deſtinati, conditores teſticuli, multis tunicis præditi. Jucundum ex venis ac nervis plicamentum eſt pubes, quæ urinarum effuſionem facit. & ad coitus miniſterium a natura creata eſt, & pubertatatis appetentiam tegit. Crura vero & brachia, & extremæ partes his adnexæ, totum miniſterii principium coacervatum habentes, tutum nervorum miniſterium perficiunt. At vero incorporea in receſſibus natura, omnifaria viſcerum genera fabricavit: Quæ ſane mors inſtans, celeriter a miniſterio quieta reddit.

LIBER DE ÆTATE.

PRÆFATIO.

FRAGMENTUM quo de ſignis fetus octimeſtris certa nece & ſeptimeſtris meliori nota eorum ſimilia traduntur, quæ dicta fuerant in libris legitimis ejusdem tituli. Ova humana auctor contemplatus eſt, quæ a meretricibus, poſt ſumta abortiva deceſſerant.

Aliud fragmentum, in quo pariter per ſeptenarios vita humana diſtribuitur, ex PHILONE *adjicitur.*

PORRO vita hominis ſeptem dierum eſt. Primum etenim poſtquam genitura in uteros pervenit, in ſeptem diebus habet, quæcunque corpus habere debet. Mirari autem quis poſſit, quomodo id ſciam. Verum multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicæ, quæ ſæpius de ſeipſis periculum fecerunt, ubi cum viris rem habuerint, ſciunt quando in ventre concipiant, & poſtea conceptum intra ſe perdunt. Poſtquam autem jam perditus eſt, elabitur velut caruncula. Hanc carunculam in aquam conjectam ſi conſpicatus conſideraveris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifeſtum.

XXI. Satis etiam manifeſtum eſt harum rerum peritis, quod mulier, quum in ventre concepit, ſtatim

ſtatim horret, & calor, & dentium ſtridor conſequitur, & convulſio occupat tum articulos, tum totum corpus, & uterum ſegnities ac torpor. Et quæ puræ ſunt, hoc perpetiuntur. Quæ vero craſſæ & mucoſæ hoc perpetiuntur, pleræque ex his mulieribus non percipiunt, nec cognoſcunt. Certe quatenus mihi oſtenderunt, hoc ipſum ſe cognoviſſe, eatenus ſcio ac prodo. Quod vero vita hominis ſeptem dierum ſit, etiam ex hoc manifeſtum redditur. Si quis in ſeptem diebus nihil edere aut bibere velit, plerique quidem in ipſis moriuntur. Sunt autem qui ipſos tranſmittunt, & tamen moriuntur. Sunt etiam quidam qui perſuaſi ſunt ut deſperarent ſeipſos fame conficientes, ſed comederent ac biberent: verum venter non amplius ſuſcipit. Jejunum enim inteſtinum in his diebus concrevit, moriunturque etiam illi.

XXII. Sed & ex hoc conjectare licet, hominis vitam ſeptem dierum eſſe. Puer ſeptimeſtri partu natus, pro ratione natus eſt, & vivit, & rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas ſeptenarium exactum. Octimeſtris autem natus nullus unquam vixit. Novem vero menſium & decem dierum partus fit, & vivit, & habet ad hebdomadas, numerum exactum. Quatuor enim denarii hebdomadum, dies ſunt ducenti & octoginta. In denarium autem hebdomadum ſeptuaginta dies incurrunt. Habet autem & ſeptimeſtris partus tres denarios ſive decadas hebdomadum, & in unaquaque decade ſeptuaginta dies. Tres vero hebdomadum decades, ex toto ſunt dies ducenti ac decem.

XXIII. Quin & morbi acutiſſimi ſic hominibus fiunt, præteritis diebus, in quibus judicantur, & moriuntur aut ſani evadunt: & tertii ge-

neris in undecim diebus, hoc eſt una & dimidia hebdomade: & quarti in duabus hebdomadibus, & quinti in duo deviginti diebus, hoc eſt duabus & dimidia hebdomadibus. At vero alii morbi non habent ut certa ſententia pronunciari poſſit, quanto tempore homines ab ipſis ſani evadant. Ad eundem modum etiam ulcera magna in capite ac reliquo corpore, quarto die inflammari incipiunt, in ſeptem autem inflammatio ſedatur, aut etiam quatuor & decem, aut duodeviginti. Si quis autem diligenter medeatur, & vulnera in capite magna in hoc tempore non ſedentur, homines moriuntur.

XXIV. Ceterum inexpertus quiſpiam mirari queat, quod ſeptimeſtris puer naſcatur. Ego quidem igitur hoc ipſum vidi, & quidem frequenter. Si quis autem hoc deprehendere vult, facile eſt obſtetrices adire, quæ parientibus adſunt, & ex ipſis percunctari. Eſt autem & aliud ſignum. Pueri ſeptem annis præteritis dentes explent. Et in ſeptem annis ſunt & ratione & numero exacte hebdomades trecentæ ac ſexaginta. Neceſſitatem autem naturæ, quapropter in ſeptem hæc ſingulæ diſpenſentur, ego aliis locis declarabo.

DE ÆTATE FRAGMENTUM,
EX PHILONIS JUDÆI,
de Opiſ. mundi. p. 24.

PRÆFATIO.

Fragmentum eſt ex Philone *ſumtum.*

HIPPOCRATES medicus ait ſeptem eſſe ætates; infantis, pueri, adoleſcentis, juvenis, viri, ſenioris, ſenis. Has autem menſurari hebdomadis, quamquam non ultimis.

Ait autem. II. In hominis natura ſunt ſeptem tempora, quas ætates vocant. Infans, puer, adoleſcens, juvenis, vir, ſenior, ſenex. Infans eſt uſque ad ſeptem annos, dentium amiſſionem. Puer vero usque ad genituræ ortum, ad bis ſeptem. Adoleſcens uſque ad barbæ lanuginem ad ter ſeptem. Juvenis uſque ad auctionem totus corporis, ad quater ſeptem. Vir uſque ad undequinquageſimum, ad ſepties ſeptem. Senior uſque ad quinquaginta ſex, ſepties octo. Deinceps vero, ſenex eſt.

DE SEPTIMESTRI PARTU LIBER SPURIUS.

PRÆFATIO.

SPurius & brevis, recenſeri non meretur.

DE ſeptimeſtribus quidam ſic dicit, quod negotium oculis nondum vidi, ſed tantum audivi. Quo autem modo mihi fieri poſſe videatur, declarabo.

Multæ naturæ mutationes, converſiones, & exceſſus in animalibus, & arbuſtis, cæteriſque ſatis ſponteve naſcentibus ævo perpetuo longoque fiunt. Nam alicubi jam femina, & mas multis manibus, oculis, auribuſque conformati natique ſunt, variiſque aliis formis, concreta ora & oſ-

O 2

ſa alii habentes, mirandam naturæ prævaricationem mutationem & exceſſum. Cuncta enim temporibus labentibus & diſcreta & confuſa & peculiaria perficiuntur. Nam ſecundum priſcam generationem, cum omnia animantia condita & creata ſunt, ſic conformata fuerunt, ſcioque etiam nunc eodem modo, & per eadem ſecundum leges cuncta conformari naſcique poſſe.

Mihi vero (quemadmodum homini circa ſeptimeſtria definienti datur) hæc ſtata ſpecie, pro caeli, terræque benignitate, quemadmodum fructus, oriri videntur. Quod videre eſt in Ægypto, ubi omnia perfecta naſcuntur, & perficiuntur multa etiam & per annum totum, omnique tempore terræ benignitate, calorisque circum aggeratione. Nilive inundatione ſcaturiunt.

Simili modo & circa animantia, ſeptimeſtriaque, perfecta, vitaliaque illic omnia naſcuntur. Quamobrem ſi quæ conceptura eſt, uti ſibi ſucceſſionem pariat, bene habeat, virque ad eam rem demittendam promtus, præſtoque ſit, corpus ſive corporis alveus creatur, & perficitur. Collatio enim & concordia validaque neceſſitas, & vis cogit, uti perficiatur, & adoleſcat ſuo ſatori non diſſimile. Nam ſi major, minorve, & diſſimilis forma & figura ſit illi unde orta eſt, perfecta non haberetur. Quare dicito, ſtatuitove, medium quid eſſe in magno negotio, conformationem rhysmumve. Si ergo conformatio aliqua ad homines perventura eſt, leni & miti modo perveniat neceſſe eſt, perque hominum commoda, ſi minus, quidam præpubeſcunt, & præſeneſcunt, quemadmodum, qui præſaneſcunt, & ſi rite, & ſecundum legem fiat. Conformatioque contabeſcit, & ad omnium commoda, fibrarum, venarum

rum, nervorum, viſcerum, inteſtinorum, uteri, cæterorumque perfectionem convertitur.

Sed forſitan aliqui petent, cur octimeſtria, & trimeſtria non vivant? quoniam fluxi parvulique ſunt. Quædam enim ſic ævum, & ætatem nacta ſunt, & per ſimilia conformari, & diſcerni conſueverunt, quemadmodum, quæ in terra ſeruntur, & plantantur. Quædam enim pluribus, quædam paucioribus diebus naſcuntur, ſecundum tempus. Tempus autem ſolis, & lunæ circuitu perficitur, & ſequitur: nec etiam undecimeſtres, nec duodecimeſtres, ſecundum eandem rationem horum vivent, donec pueruli ſunt. Nihil enim præter ſua veſtigia, & naturam fit, aut adoleſcit, nec etiamſi quid fabulentur. Sed cujusque conformatio, forma, figurave, & ſimilitudo, ſive rhyſmos ſecundum naturalem legem perficitur, & rite finitur. Nam naturalis machinatio cuncta in oculos, vel aures, vel nares, vel os transfert, quæ conformationibus his continetur, vel per alias concretiones, ſyncriſiesve abſumit. Quare nunc periti cum ſint, conceptus omnes noſcent, quæ prius excogitavi.

DE SIGNIFICATIONE VITÆ ET MORTIS

SECUNDUM MOTUM LUNÆ ET ADSPECTUS PLANETARUM.

PRÆFATIO

GULIDEOLI MORDICI

INTERPRETIS PRISCI.

PRÆFATIO.

Mera eſt aſtrologia, ab Hippocratis *ſapientia remotiſſima, neque græce exſtat, nuperi ſcriptoris opus.*

Hippocrates optimus medentium dixit, cujusmodi Medicus eſt, qui ignorat aſtronomiam? nemo debet ſe committere manibus ejus, quia non eſt perfectus medicus. Novi ergo, quod opus erat ſcire aſtronomiam. Ideo inſpexi libros Hippocratis, & inveni libellum hunc parvulum, ſed optimum, quem qui bene noverit, efficietur magnus Medicus. Eſt enim valde neceſſarius Medicis omnibus.

II. Hippocrates: adſpice lunam, quando eſt plena lumine, quia tum creſcit ſanguis, & medulla in omni homine, & beſtiis omnibus. Idem fit in mari, & cunctis in rebus mundanis.

Cum ergo quis inciderit in morbum, tum neceſſarium eſt videre, an Luna è combuſtione exeat. Tum namque creſcit infirmitas, donec

venerit ad oppoſitionis gradum. Et cum erit in oppoſitione, videndum erit, an ſit cum malo aliquo planetarum, vel in malo adſpectu, aut adſpexerit dominum domus mortis. Nam ex iis poteris ſcire, utrum æger morietur vel vivet, vel diuturnus erit morbus ejus, vel non.

Nunc autem videamus naturam omnium ſignorum; vires etiam ſive poſſe lunæ in eisdem.

III. Cum quis in morbum inciderit Luna exiſtente in Ariete cum Marte aut Sole, tum morbus erit in capite propter Solis calorem, utique & gravis, & dolebunt ei pulſus capitis: febres etiam patitur æſtuoſas, non intermittentes: in præcordiis quoque torquetur, vix loquitur: quia thoracem occupavit vehemens calor, & pulmonem, quod & pulſus vehemens oſtendit. Neceſſarium eſt ergo, ut huic ſecetur vena cordis, utque veſcatur frigido alimento & potu, & compeſcentibus calorem, ut morbus is non vertatur in phrenefim.

At ſi cum Luna fuerit Mars, ſive Saturnus, ex hoc morbo morietur æger infra diem ſeptimum, à die, quo Luna fuerit cum Sole per quartum adſpectum, & hoc intelligitur Luna creſcente.

Si vero Luna erit in Ariete infortunata, adſpexeritque eam ex quarto, vel ex oppoſitione Saturnus, morbus is erit in capite, & perducet eum ad alienationem mentis, & faciet inſanire, variando incrementum & decrementum, eritque morbidus perſimilis illi, qui videre non poteſt. Si vero aſtronomiam ignoras, hæc non poteris ſcire, neque cognoſcere ejus morbum.

Quod ſi fuerit Luna in diminutione graduum vel luminis, cum revertetur ad primum adſpectum Saturni, videlicet, cum dimiſerit eum, & per alium adſpectum illum adſpexerit; morbus

mutabit in bonum vel in malum: nam ſi adſpexerit: aliud infortunium, morietur ille: ſi autem non adſpexerit, evadet. Sed cum Luna dimiſerit adſpectus hos, de quibus diximus, morbum ſcias receſſurum.

Tamen, dum Luna non invenerit Jovem aut Venerem per aliquem adſpectum, priusquam venerit Luna ad coniunctionem Solis, morbus non recedet, ſed ſtabit, donec Luna venerit in adſpectum vel ad oppoſitionem Solis. Quod ſi dictos etiam non invenerit Luna, ſed Mercurius occurrerit illi, morietur æger. At ſi Mars invenerit eam, ſanabitur, dum morbum produxerit pituita.

Et quando languidus primo ſentit morbum, dum Luna addit ſuo lumini & gradibus, & Mars aut Sol fuerit in Ariete, morbus erit in capite, & inſania, & abſceſſus ex pituita orietur in capite, profluetque illi ſanguis è naribus. Oportet itaque illum uti frigidis temperatis, indigetque medicina, qua deſtruitur abſceſſus.

Cum vero Luna fuerit cum Mercurio in loco Solis, evadet infirmus: prius autem erit in magno diſcrimine; quoniam Mercurius concors fit cum Marte, in eodem negotio. Mars autem non facit ſic cum Saturno, & morietur æger, cum Saturnus fuerit in loco Solis. Quod ſi fuerit cum Luna Jupiter ibidem, vel Mercurius, aut Venus, varius ejus erit morbus.

Quando autem Lunam adſpexerit Mars vel Saturnus aliquo adſpectu, opus eſt ægro leni medicina, & mediocri diæta, demum ſedeat quandoque, & jaceat quandoque ille in luminoſo loco, ut a longe clarum aërem poſſit videre, utatur & balneo, bibatque aquam frigidam, cum neceſſarium fuerit, & regas illum, ut tibi videtur ſalubrius eſſe.

IV. Quando autem quiſpiam incidit in morbum Luna exiſtente in Tauro, atque eam adſpexerit Mars ex oppoſito vel adſpectu quarto, morbus ejus productus erit ex ſanguine, is tandem ſentit immenſum calorem, & ſiti torquetur, & queritur per noctem, nec poteſt dormire, & potum vini appetit. Eſt ergo neceſſarium illi ſecare venam, & exhibere pharmacum, quod refrigeret eum, & humectet.

Sin fuerit in ſigno Saturnus cum Luna, aut Venus addens, & non invenerit fortunam, morietur infra novem dies à die, quo incidit in languorem.

Quod ſi Luna addet ſuo lumini & gradibus, tum demum atque eam Mars adſpexerit ex oppoſito vel quarto adſpectu, & Luna venerit ad Saturnum, & erit Mercurius cum ea; morbus ex frigidis ſuccis erit, vel æger totus frigidus & diſruptus erit. Ideo vix loquitur, & pauca profert: habet & ventriculum durum, ſeu crudum adeo, ut excoquere non valeat alimentum, ſed interius ardeat. Propterea is eget ſolventi medicamine, quoniam morbus is magis particeps eſt bilis, quam pituitæ. Adſpicies etiam Lunam, quando venerit ad locum oppoſitum illius, in quo fuerat à primordio morbi: quoniam, cum fuerit ibi, magnum periculum & labor magnus erit ægro. Is ergo morietur, ſi Luna non invenerit aliquam fortunam, in eodem ſigno: quod ſi invenerit fortunam, evadet usque ad dies octo.

Quum vero quiſpiam inciderit in morbum Luna peragrante Taurum, & Mars & Sol erunt in eodem ſigno, noctu languor erit in thorace; ardebit & lingua, ut combuſta, flagrabit ore atque oculis, & egerens raro per alvum balbutiet, & febris ejus cauſa erit ſanguis, ſitietque vehe-

menter. Indiget tandem venæ ſectione, & medicina ſolventi. Potus ergo ſit frigidus, caveatque à calentibus.

Advertes autem, quando Luna fuerit in trino adſpectu cum Sole, ſi morbus decreverit, vivet ille: ſin creverit, occumbet, quando Luna erit in oppoſitione Solis: quod ſi invenerit Venerem, vel Jovem, non morietur.

V. Si quis inciderit in ægritudinem, Luna exſiſtente in Geminis, & adſpexerit eam Mars, aut Saturnus ex quadrato vel oppoſitione, ægritudo ex amiſſione ſomni erit, vel ex aliquo mœrore, vel ex plurimis cogitationibus ſuper aliquo negotio. Ideo univerſo dolebit corpore, & hæc durabit ægritudo ad minus tribus ſeptenis diebus. Poſtmodum incidet in calorem. Is etiam, dum recubat noctu, extenſiones patitur, & dolorem dextri hypocondrii, vel regionis jecinoris. Et ſi Luna non fuerit cum aliqua ex fortunis, morietur ille ſpatio dierum triginta.

Cum verò Luna erit in Geminis addens ſuo lumini & gradibus, & Mars adſpexerit eam ex quarto adſpectu vel oppoſitione, ægritudo hæc proveniet ex bile rubra, febrietque cum vehementia pulſus. Itaque ſanguis eſt minuendus illi, & frigidis alendus eduliis.

Quod ſi fuerit Saturnus in hoc adſpectu, & cum Luna nulla fuerit fortuna, vitam perdet ille, quando Luna veniet ad oppoſitum illius loci, in quo erat, cum incidit in ægritudinem: ſin aliqua fortuna adſpexerit eum, recipiet valetudinem, etſi magno in periculo occubitus erit. Si Luna tantum fuerit in Geminis, morbus erit in capite. Tum cavendum eſt a ſectione venarum, neque ei offerenda ſunt frigida vel humida, ſed offerantur temperata.

Advertes etiam, cum Luna fuerit in oppoſitione Solis, ſi qua ex fortunis bono adſpectu aderit, vivet ille, alioquin morietur.

Si vero Luna erit in Geminis, & adſpexerit eam fortuna bono adſpectu, vivet ille, vel ægritudo mutabitur in alium morbum. Sin autem fortuna dimiſerit eam, neque invenerit aliam, donec Luna venerit ad oppoſitum loci, in quo fuerat à principio, Medicus non poteſt cognoſcere quisnam languidi morbus ſit, ſed tum evadet, cum Luna erit in prædicta oppoſitione.

Si vero Luna fuerit in Geminis una cum Sole & Marte, hæc erit acutiſſima ægritudo: lacrymabit ei oculus, pervenietque in phreneſim, & æger ipſe de ſe ipſo tum maxime veretur. Nam apparent ante oculos illi diverſa phantaſmata & imagines horribiles, ejusque pulſus erit valde profundus, adeo ut fere non inveniatur, & capite dolebit. Tum ergo vena non eſt ſecanda illi, & alendus erit levi cibo & potu, & ſtratus jaceat in loco temperato.

Reſpicies etiam, cum Luna fuerit in quarto adſpectu illius loci, in quo fuerat à primordio morbi, quia tunc morietur. Sed quando Luna fuerit cum Sole & Marte, & adſpexerit eam fortuna bono adſpectu, & Luna erit addens Lumini & gradibus, evadet, cum Luna venerit ad quartum adſpectum, in quo ab exordio morbi fuerat. Nec offeres medicam potionem illi, ſed præcipies uti leni cibo, & balneo, & in loco altiori ſedere.

VI. Luna ſi fuerit in Cancro, cum aliquis inciderit in morbum & eam Saturnus adſpexerit quarto adſpectu vel oppoſitione, morbus is ex frigidis ſuccis erit ei productus, vel ex balneo, vel de loco humido exeunti. Is nullum odorem ſentit, laborat pectore & tuſſit, difficilem habens

anhelitum & pulſum admodum compreſſum, queritur de adſectibus ventriculi, ilium & renum. Eget ergo medicina lenienti pectus, & tuſſim expugnanti.

Si vero Saturnus non fuerit cum Luna, vel eam non adſpexerit aliqua fortuna, donec venerit ad quartum adſpectum illius loci, in quo fuerat, quando incidit in morbum, is mori debet circa diem decimum. Quod ſi Lunam adſpexerit fortuna, vivet ille cum difficultate & labore.

Similiter Luna ſi fuerit in Cancro, & eam Mars adſpexerit adſpectu quarto vel oppoſito, vomitum patietur æger, vel dolorem ventriculi. Is tandem indiget frigefacienti medicamine, & ventriculum reficienti. Quod ſi Lunam non adſpexerit aliqua fortuna conveniens & bona in eodem loco, occumbet, priusquam veniet Luna ad quartum vel ad alium adſpectum.

Sin autem Luna exſiſtens in Cancro curſu eſſet vacua, morbus is productus eſt ex potu nimio, ejusque turgent venæ, & diſtenduntur, noctu valde triſtatur, cupitque erectus ſedere in altiori loco, dejicit operimenta, non deſiderat ſermones quosdam, ſed frigida tangere. Cum autem Luna venerit ad oppoſitum Cancri, evadet ille, ſi bona fortuna eam adſpexerit.

At ſi invenerit Martem vel Solem, morbus vertetur ad majorem caliditatem, pulſus ejus non mutatur, quin imo excreſcentias oſtendit, perſeverat tandem morbus, dum Luna fuerit, ut diximus, in loco quarti adſpectus, vel ad oppoſitum venerit adſpectum. Is tandem noctu timet, ut quid horrendum videret, propterea & vociferat multum laborioſe. Et quando venerit ad trinum adſpectum, ſanatur. At ſi non invenerit ibi fortunam bonam, mutatur morbus in aliam ægri-

tudinem. Sed convaleſcit, quando Luna revertetur, ad locum, in quo erat, cum infirmus cœpit ægrotare, ſed ſi ibi non invenerit fortunam, morietur ille. Quod ſi fortuna adſpexerit eam bono adſpectu, vertetur ad priſtinam ſalutem.

Cum Luna fuerit in Cancro, & Saturnus & Jupiter cum ea, morbus triginta dierum erit ex frigido ſucco, ſed vivet ille.

Si vero Luna erit in Cancro cum Saturno, Marte & Venere, morbus ex laſſitudine itineris proveniet, vel ex coitu plurimo, is tandem in ſtrato circumvertitur, & debilis efficitur. Ideo non mittendus ſanguis, neque venter ejus eſt ſolvendus, ſed ſtudendum eſt eduliis revocantibus virtutem, ut carnibus pullorum & vitulorum, teſtibusque gallorum & ovis ſorbilibus, a frigidis vero fugiendum eſt. Et cum Luna receſſerit ex ſigno illo, veneritque ad oppoſitionem, & non invenerit aliquem Planetarum, verendum eſt: quod ſi invenerit fortunam, cito reſtituetur ſanitati: quam ſi non invenerit, morbus creſcet, & morietur.

Cum Luna fuerit in Cancro cum Saturno, Marte & Mercurio, tum morbus productus erit ex nimio ſtudio legendi vel ſcribendi, eſtque in cauſa melancholia. Itaque utendum eſt medicina bilem atram educenti.

Quando autem Luna egreſſa erit de loco illo, & invenerit fortunam, reſtituetur ſaluti, cum Luna venerit ad quartum adſpectum illius fortunæ. Quod ſi invenerit aliquod infortunium, mori debet, quando Luna erit in quarto adſpectu illius infortunii. Si vero invenerit bonum aliquem Planetam, evadet, cum Luna venerit ad oppoſitum loci, in quo fuerat: ſed ſi infortu-

nium invenerit, morbus fiet magis diuturnus, vel extendetur ad tempus, donec redierit ad locum in quo fuerat à principio morbi, & reſtituetur ſaluti: at ſi Luna invenerit infortunium per malum adſpectum, dum t ndit ad oppoſitionem, demens efficitur languidus. Si vero fortunam invenerit, mutabit morbum in aliam ægritudinem, tamen reſtituetur ſaluti.

VII. Cum Luna erit in Leone, & Saturnus adſpexerit eam ex quadrato vel oppoſitione, morbus erit propter lienem, dolebit capite, & vomitum patietur, is tandem deſcendet prope occaſum, & febris ejus intenſiſſima: languor vero erit magis internus, quam externus, cum defectu lubricitatis ventris. Quod ſi Luna nullam adſpexerit fortunam, occidet ille, cum pervenerit Luna ad quartum adſpectum Leonis. At ſi forte fortuna adſpexerit eam, ſalutem recipiet, cum venerit ad quartum adſpectum.

Si vero Luna fuerit in Leone, & Mars eam adſpexerit ex adſpectu quarto vel oppoſitione, morbus erit ex ubertate ſanguinis, is vehementer calefiet, & corripietur duabus febribus. Utatur ergo frigidis & ſiccis, tum poculentis, tum eſculentis. Si Luna fortunam adſpexerit bono adſpectu, poſt magnam defatigationem melius: quod ſi non adſpexerit fortunam, deterius erit. Quare ſi fortunam bono adſpectu non adſpexerit, certo morietur, quando venerit ad oppoſitionem loci, in quo fuerat morbus in principio. Si vero prius adſpexerit infortunium, quum venerit Luna ad quartum adſpectum, morietur.

Si vero, Luna exiſtente in Leone, Mars eam proſpexerit, vel Sol quarto adſpectu, ardenter viſceribus ardebit, pectore & capite dolebit, & pedes manuſque habebit frigidas. Huic tandem ne-

ceſſario vena ſecanda erit, dum non fuerit Luna in ſigno, quod impedit ſectionem: ſin autem fuerit, morandum erit, donec Luna venerit ad medietatem ſui luminis, & illines pedes languentis linimento, quod tollit frigiditatem.

Si Mars vel Sol fuerit cum Luna in eodem ſigno, morbus procedet ex dolore cordis. Quando vero Luna venerit ad quartum adſpectum illius loci, in quo fuerat a primordio, valde timendum erit ægro.

Cum autem Luna caruerit dictis adſpectibus, & invenerit Jovem in itinere, aut Venerem, prius quam venerit ad quartum adſpectum, tum balneandum ſuadeo, vel in frigido loco ſtandum.

Si vero Luna Saturnum invenerit, morbus is vertetur ad veſicam, ſed ſanabitur, cum pervenerit Luna ad locum, in quo fuerat.

Quando Luna invenerit Solem aut Martem, & fuerit cum ea Saturnus vel Mercurius, veniet ad extrema, ut diximus, ex dolore cordis, & erit longus morbus, & timendum erit, ne in phthiſin vertatur. Utendum erit rebus temperatis in frigiditate, neque debet jacere in loco lucido. Et erit reſpiciendum, quando Luna venerit ad quartum adſpectum loci illius, in quo erat, cum incidit in morbum. Nam ſi morbus creverit, erit diuturnus, & morietur: ſin minuitur, evadet, cum Luna venerit ad oppoſitionem. Quod ſi Luna invenerit infortunium, vivet ille, donec Luna peregerit curſum ad locum uſque, in quo fuerat cum æger incidit in morbum.

VIII. Cum fuerit Luna in Virgine, & Saturnus invenerit eam ex quarto adſpectu, vel eam proſpexerit ex oppoſitione, tum inciderit in languorem, ventriculi dolorem patietur, & ventris & inteſtinorum, vel ei congeſtum erit apoſtema ex pituita alba. Is quandoque patietur calorem, &

erit illi pulſus debilis. Ejus vero morbum nemo poteſt cognoſcere, niſi fuerit aſtronomus. Utatur is, rebus frigidis & temperatis. Indiget curatione abſceſſus ſine apertione. Morbus is tandem longus futurus eſt. Sin autem Luna adſpexerit fortunam, evadet, ſed poſt multos dies: Quod ſi infortunium adſpexerit, occumbet die quadrageſimo.

Cum Luna fuerit in Virgine, eamque Mars reſpexerit, vel ſol ex quarto vel oppoſitione, morbus productus erit ex magno interno calore. Huic ſuccedit frequens aſſellatio, projicit & ſanguinem, & venenum, vel humores præferentes aconitum. Pulſus ejus eſt validus; tamen quandoque non invenitur. Patitur & cordis languorem, & ventriculo laborat. Medicina illi tandem potens negatur, ſed ſtypticum medicamen, & ventriculum roborans detur. Utatur ergo alimento & medicamento leni. Quod ſi infortunium aliquod adſpexerit eam, morietur ille, & brevi tempore, ad dies triginta: ſin vero adſpexerit eam aliqua fortuna, vivet ille.

Cum fuerit in Virgine curſus vacua, ægro ſtomachus erit debilis & fluxum quandoque ventris patietur, & lotium, dum mingit, veſicam afficit vexatque bilis praſina hominem, & cum difficultate mingit.

Si fuerit cum ea Mars, vel Mercurius, vel Sol, morbus ejus erit gravis, & vix loquitur, & fluxum ventris patitur. Indiget ergo ventrem ſtipantibus. Verendum autem eſt illi, ne occumbat, cum Luna venerit ad oppoſitionem loci, in quo fuerat ab initio morbi: quam ſi fortuna adſpexerit, vivet ille. ſin autem, morietur.

Quod ſi inveneris Saturnum cum Luna, vel Mercurium aut Venerem ſeu Jovem, hic morbus erit nimium diuturnus, capitis languorem patietur

tur etiam, neque liber erit morbo, donec venerit Luna ad locum, in quo fuerat ab initio morbi.

IX. Luna cum fuerit in Libra, & Saturnus eam adſpexerit ex quarto adſpectu vel oppoſitione, morbus productus erit ex nimio potu vini, majorque erit morbus is, cum Luna fuerit in diminutione luminis & graduum. Is tandem afficitur oculis, dolet temporibus, queritur pectore, tuſſis ex pituita in pulmone concitatur, illi moventur & ſternutamenta, afficitur & febre quadam levi. Is demum eget medicina temperata, & regimine vita utatur temperato. Sin autem Lunam inſpexerit Mars adſpectu quarto vel oppoſito, morietur ille. Quod ſi eam non adſpexerit, vivet & liber erit, quando Luna venerit ad oppoſitionem loci, in quo fuerat a principio languoris.

Quum autem Luna fuerit in Libra, eamque adſpexerit Mars quarto adſpectu, vel Saturnus oppoſitione, morbus erit ex ſanguine, & febris erit vehemens & nocturna, prava occurrent ſomnia, etſi vix poterit dormire, plerumque & apoſtema congeritur illi ex pituita alba. Is tandem neceſſario medendus eſt temperato medicamine. Cumque Lunam non inſpexerit aliquod infortunium, evadet ille. Sin autem fuerit oppoſitum, cum venerit ad oppoſitionem, morietur ſpatio viginti trium dierum, vel triginta trium. Cumque Luna adſpexerit aliquam fortunarum, ſanabitur ille, cum Luna venerit ad oppoſitionem loci, in quo erat ab initio morbi.

Sed cum Luna in Libra fuerit peregrina, æger pedibus, vel manibus laborat & febris, graves oculos, & ſomnolentos habens, balbutit loquendo. Eget pharmaco, & frigido vitæ regimine, atque humido. Secanda erit vena illi. Cum Luna

egreſſa fuerit è loco in quo erat à principio morbi, & invenerit fortunam, vel ſecum erit, recipiet ſanitatem, cum Luna venerit ad oppoſitionem: ſin oppoſitum acciderit, morietur.

Quumque Luna erit in Libra, Solque vel Mars erit in oppoſitione ejus, gravis erit morbus in capite. Quod ſi fuerit Mercurius cum Luna idem erit: tamen oculi ejus opplentur lachrymis. Indiget tandem minutione ſanguinis, & ſolventi medicamine. Tamen ſi Luna invenerit Jovem ante Venerem, quando egreditur de loco, in quo erat ab initio languoris, ſanabilis erit; ſin vero eſſet oppoſitum, morietur ille.

X. Cum Luna fuerit in Scorpione, eamque Saturnus adſpexerit adſpectu quarto, vel erit in oppoſitione ſigni illius, in quo quis incidit in morbum, morbus ejus erit ex peccato ſanguinis corrupti, vel ex veneno.

Quod ſi Luna erit in diminutione luminis, & non adſpexerit eam fortuna, morietur ille. Cum autem erit addens lumini & gradibus, & fortuna adſpexerit eam, vivet ille.

Tamen dum Luna erit in Scorpione, Marsque eam & Jupiter inſpexerint quarto adſpectu: vel oppoſitione, intenſus febrientis erit calor. Is eget temperato pharmaco ſolventi. Sed cum Luna inde receſſerit, poſt modum jungitur Jovi, valetudinem recipiet ille. Luna etiam exſiſtens peregrina in Scorpione, languoris pedum eſt cauſa, morbusque ab initio levis eſt, neque æſtimatur. Ideo fovetur, plerumque & abſceſſum producit, ejuſque & veſica afficitur, inque ejus naturalibus apparent puſtulæ. Sed Luna cum venerit ad trinum adſpectum loci, in quo fuerat ab exordio, calidis afficitur febribus.

At ſi Luna venerit ad ſolem per quartum adſpe-

ctum, & fortunam non invenerit, occumbet ille: ſi vero invenerit eam, apparebit apoſtema in aliquo ex dictis locis, tamen vivet ille. Eget autem is medicamento, ut tumor ille aperiatur in balneo tantum, quia alius locus nec calidus, neque frigidus convenit.

Cumque etiam Luna fuerit in Scorpione, eritque cum ea Mars atque Saturnus, febriens febriet ardentiſſimis febribus. Propterea ſumat medicamenta, quæ minuunt pituitam: ſed vena non eſt ſecanda illi. Cum Luna egreditur de loco illo, & eam adſpexerit fortuna, ad decimum quartum diem morbus protrahetur. Sin autem non adſpexerit, durabit morbus uſque ad vigeſimum diem.

XI. Cum Luna fuerit in Sagittario, & eam adſpexerit Saturnus quarto adſpectu vel oppoſitione, morbus erit ex phlegmate. Univerſum enim cor afficietur calore: extrema vero frigida erunt, morbusque durabit, donec Luna Saturno jungetur. Quod ſi invenerit fortunam, non procedet ulterius, quatenus Luna venerit ad oppoſitionem illius loci in quo fuerat ab initio morbi.

Cum vero exſiſtente Luna in Sagittario adſpexerit eam Mars quarto adſpectu vel oppoſitione, & addiderit ſuo lumini & gradibus, morbum languentis Medicus nequit diſcernere abſque aſtronomia: quoniam modo de capite, modo de univerſo corpore, modo quoque & aliter queritur; quibus ideo afficitur, quia nimium ſtetit in balneo, & calefactus ſtatim concepit frigus pectore & capite: evomit quoque multum, atque dejicit. Eget ergo ſtipanti medicamine, ſed levi: utatur diæta levi etiam & ſyrupo ſine aceto. Cum vero Luna exierit de Scorpione, & Saturnum in-

venerit, morietur: at ſi invenerit fortunam, vivet; ſed immenſam patietur fatigationem.

Cum Luna eſt in Sagittario cum Jove, aut Venere, languor erit propter tuſſim, cum dolore pectoris: ſed quum Luna ex hoc ſigno egreſſa erit, & adſpexerit eam Saturnus, ad vigeſimum quartum, extendetur morbus, & evadet. Is indiget mollienti medicamine, caveat a balneo, quoniam obeſt.

XII. Luna cum fuerit in Capricorno, eamque Saturnus adſpexerit ex quarto adſpectu, vel ex oppoſitione, & fuerit in diminutione luminis & graduum, ex nimio labore ſudore perfunditur, & frigore corripitur æger, concluſi ſunt humores, & cerebrum concutiunt ſternutamenta fortia, laborat ventriculo & thorace: febrit etiam propter nimium exercitium, vel ſanguinem. Curetur is rebus temperatis, ut ſyrupo temperato. Tum ſi Luna adſpexerit fortunam, evadet magno tandem cum labore. Si vero fortuna non adſpexerit eam, morietur infra triginta dies.

Cum Luna erit in Capricorno, eamque adſpexerit Mars quarto adſpectu vel oppoſitione, morbus erit ex vomitu, atque intenſo calore, patietur ventris ſolutionem, & ventriculus ejus ardebit, & tumeſiet ardenter & febriet, plurimo & ſudore perfundetur, ejus pulſus non ſemper erit æqualis. Is ergo eget refrigeranti medicina. Si Lunam adſpexerit fortuna, ſanabitur ille; ſin minus, occumbet ad quinquageſimum vel ſexageſimum diem.

Cum Luna erit in Capricorno cum Marte & Sole, morbus erit ex labore facto juxta ignem, & propter nimiam caliditatem. Ideo febrit propter motum bilis citrinæ. Caveat ergo a balneo, & non perfundat corpus aqua frigida. Sed quan-

do Luna exierit inde, & venerit ad oppoſitum adſpectum, evadet; & erit dies quarta decima.

XIII. In Aquario, cum Luna erit addens lumini & gradibus, eamque adſpexerit Saturnus adſpectu quarto, vel oppoſitione, languentis morbus erit ex nimio labore, fluit ſanguis illi, morbusque aliquando hujus creſcit & decreſcit. Ideo verendum, ne occumbat in oppoſitione Lunæ. Quod ſi mutatur in melius, vivet ille, fortaſſe ad diem quartum decimum: ſed morietur die quadrageſimo primo.

Cum vero Luna in Aquario erit peregrina, morbus erit in viſceribus, patitur & febres ardentes diuturnas cum defectu animi: ſed quando Luna erit cum Sole, is erit validior. Adſpice ergo Lunam, quando egreditur e Sole, ſi invenerit fortunam, prius quam venerit ad locum, in quo erat, cum incidit in morbum, quia evadet: ſin autem fortunam non invenerit, morietur.

Cum vero Luna fuerit in Aquario, & Saturnus ſecum erit, morbus ex melancholia procedet, & eſt cholera nigra. Quod ſi Luna erit addens lumini & gradibus eaque fortunam invenerit priusquam erit in oppoſitione loci, in quo ab exordio erat, recipiet valetudinem: at ſi fortunam non inveniet, occumbet ille.

XIV. Quando Luna erit in Piſcibus addens lumini & gradibus, & Saturnus eam adſpexerit ex quadrato vel oppoſitione, morbus erit ex frigidit te, cum dolore capitis & ventris. Huic ergo danda eſt medicina calida, quæ frigus expellat. Si Luna adſpexerit Solem, vivet; tamen poſtquam ſanitatem recuperaverit, venarum & articulorum patietur adfectus.

Cum vero Luna fuerit ibidem addens lumini & gradibus, & eam adſpexerit Mars adſpectu

quarto vel oppoſitione, morbi cauſa erit nimius potus & cibus: aucta eſt ergo bilis cum ſanguine. Huic ſecanda eſt vena. Is vero magis dolebit in die, quam noctu. Cum autem fortuna non adſpexerit Lunam in loco, in quo coepit ægrotare, morietur: ſin vero adſpexerit eam, ſanus erit, cum Luna venerit ad locum, in quo erat ab initio morbi.

Cum Luna ſtante in Piſcibus, Venus & Jupiter erunt in eodem ſigno, cum incidit in morbum, morbus productus erit ex ſudore vel ex nimio potu aquæ. Is tandem laborat oculis, & febrit cum frigore. Ab initio demum ſequitur calor. Is eget medicina ſolventi, & calorem pellenti. Cum Luna venerit ad oppoſitum loci, in quo fuerat ab initio morbi, recipiet ſalutem.

Cum Luna erit in Piſcibus cum Marte, nimius calor internus concitavit febrem. Indiget ſectione venæ. Cum vero fortuna Lunam adſpexerit, vivet ille: Si vero oppoſitum erit, occumbet.

DE LIQUIDORUM USU LIBER.

PRÆFATIO.

Continet decem aphoriſmos ſectionis V Hippocratis a 16 *ad* 26*: et aliqua adjecta de vino & aceto. Veteres legerunt, & paſſim aliqua ex hoc libro habent, etſi titulum non citant. Eſt ex brevioribus, multo vero dignior priori, & genuino propior.*

ARGUMENTUM LIBRI.

Aquarum calidarum frigidarumque, nec non magis aquæ, vini, acetique effectus & facultates, & quæ partes, & qui effectus calidis magis quam frigidis delectentur, afficianturque.

CAPUT I.

Aquæ potulentæ calidæ & frigidæ facultas & uſus.

AQua potabilis, ſalſa, mare. Potabilis quidem ad officinam medicam optima: etenim ferramentis & æramentis optima, & medicamentis plurimis inveteratis convenientiſſima. Verum corpori adhibita, ſciendum eſt, quod hæc aut humectat, aut refrigerat, aut calefacit. Alio præterea nullo uſu potabilis aut utilis eſt, aut noxia. Ubi potabili modica cum ſpongia uteris ad oculos eſt optima.

Calidæ adſperſione ipſa ſumma cutis exulceratur. Fotus corporis totius, aut partis; cutis duræ emollitio, intenſæ laxatio, nervorum, carnium, humorum effuſio, ſudoris exitus: prolutione humectare, velut nares, veſicam, ventrem. Carne implere, tenerum reddere, liquefacere, imminuere, colorem revocare, colorem diſſipare. Somnum conciliat capiti adfuſa & aliis partibus. Convulſiones, tenſionesque lenit; auris, oculorum dolores obtundit, & quæ ſunt hujuſce modi.

Frigida calefacere, velut ventrem. Ulceribus, præterquam ex quibus ſanguis effluit, aut efflu-

xurus eſt, fractis, luxatis, reliquis, quibus per lintea Medicus medetur, capitis gravitati. In unoquoque quod moderatum, ne ultra, novimus explorare, velut calidum corpori adhibitum, exceſſu in utramque partem vitato, ut utraque ex parte minime aberret, qui conjecturam ex eo quod nocet, aut non juvat, ſumpſerit, velut in tepida. Iis enim, quæ lædunt aut juvant, & ſi ſunt ejuſmodi, eouſque uti convenit, quoad juvant, vel quoad lædunt. Madefactio itaque debile quid eſt; refrigeratio vero & calefactio validum quid, velut ex Sole.

At frigida videtur, quæ calida eſt, velut potabilis aqua ægrotanti. Verum calida eouſque, ne urat. De his autem judicat ipſe ægrotus, exceptis mutis, aut leviter ſideratis aut ſtupore adfectis, aut velut in vulneribus perfrigeratis, aut nimio dolore vexatis. Iis vero hæc non ſentiuntur. Neque enim hi peruſti ſentiunt, ut nec profundas ac magnas luxationes. Jam vero etiam pedes perfrigerati deciderunt ex calidæ adfuſione. Verum in his ejus, qui adfundit, cutis judex eſt; ac ſimiliter in frigida. Harum autem ipſarum paucitas utriusque, debile quid eſt; copia vero, validum. Verumtamen ſinere oportet, donec id contingat, cujus gratia fiunt, prius vero quam extremum eveniat, ceſſandum eſt.

CAPUT II.

De aquæ calidæ & frigidæ uſu; ac quas utraque juvet, lædatque partes; & quos adfectus inferat, curetve.

HArum autem utraque lædit. Has vero læſiones calida copiosior adfert utentibus, carnium

mollitiem, nervorum debilitatem, animi torporem, ſanguinis profuſiones, animi deliquia: & hæc ad mortem. Frigida vero convulſiones, tenſiones, nigrores, & rigores febriles; ac mediocritates quidem ex his. (cætera autem prædicta lædunt ac juvant voluptate & toleranti facultate, ex dolore etiam & ferendi moleſtia) in ſingulis eorum convenientes, ſalubres videntur.

Corpus quidem tegi ſolitum, quicquid inſuetum eſt, & longiſſime a familiari calore abeſt; alieno vero frigori eſt proximum (averſatur,) ideoque calida delectatur & ferre poteſt cerebrum, quæque ex eo oriuntur, frigida quidem offenduntur, calida vero delectantur, etiam ſi natura ſit frigidius & ſolidius. Eam ob cauſam oſſibus, dentibus, nervis, frigida inimica eſt; calida vero amica; quoniam convulſiones, diſtenſiones, rigores febriles, quos frigida creat, calida ſedat: propterea etiam a calida voluptates & illecebræ: a frigida vero dolores & averſationes; ob id lumbi, pectus, dorſum, hypochondria, magis offenduntur frigida calida vero gaudent, eamque ferre poſſunt. Eam ſane ob cauſam lumbi, dorſum, pectus, hypochondria contraria perpetiuntur, quod ſint contraria. Idcirco ſane anxietatem hac in parte calidæ uſu obortam frigida ſedat. Ideoque etiam frigidæ potu gaudet, & cibariis calidis delectatur. Ideoque ſane in animi defectionibus frigida ſummis partibus adfuſa prodeſt.

Quod autem partes poſteriores calidam magis ferant, quam anteriores, prædictæ cauſæ ſunt: quodque etiam frigida recte ferant. Extremæ etiam partes anteriores ſunt, & frigori externo adſuetæ, neque tegi ſolitæ, ut internæ. Cogitandum autem, quod utrumque in utraque corporis parte cutem internam ſuperat; quæ, quum ſibi ipſi &

nervo exſangui ſit continua, eo quod extra proprium calorem in frigore externo verſetur, ab utriſque frequenter ſuperatur, & utrorumque frequenter indiget; frequentius tamen calido ad voluptatem. Tale quiddam etiam partibus extremis contingit, ideoque cito multa ſentiunt, tarde autem primum, adtolluntur.

Ex venis etiam alias prius, alias poſterius adfici ad conſtat. Sic conſpiciuntur omnia, ubi tum refrigerantur extremæ partes, tum calefiunt, in vaſorum evacuationibus, in animi defectionibus. Neque citra rationem ſane venas ſequuntur, quæ ex illis dependent, eaque primum calida calefacit, velut internas manus. At ulcera calida plane delectantur, quod tegi ſint ſolita. Merito ab altera læduntur. Jure ſane ipſæ etiam venæ, quod ſint in calido. Jure ſane ipſe etiam thorax, ipſeque ventriculus a frigida ſuperatus potiſſimum moleſte fert, & lethaliter adficitur, quod maxime non adſueta ſint. At plurimum abeſt ab eo, ut patiatur, quum ipſa indigentia huic ſit maxime propinqua. Jure itaque frigidæ potu gaudet; ſicque omnia iſta inter ſe conſentiunt. Jam vero valde conſentaneum eſt, omnia in ſuperficie deſquamata & ambuſta, non admodum tegi ſolita, frigidam ægerrime ferre, quum citiſſime ſuperentur. Et profundiſſima, ſi ſuperentur, maxime utique lædi: deinde etiam naturam nervoſam participant. Quod autem imus venter calida delectari videatur, conſiderandus locus eſt.

Quin etiam partes extremæ, & veſica, & uterus, & aliæ partes genitales denudatæ; ſuapte natura frigidiores ſunt, quam quis putat. Surſum enim, non deorſum caliditas prorumpit. Idcirco calida delectatur, quod poſt calidam corpus perfrigeratum magis frigeſcat; poſt frigidam vero con-

tractum magis recaleſcat; velut aquam refrigerandam calefacere oportet, ob tenuitatem, quod poſt calidam corpus magis indureſcat, ac reſiccetur, ut oculi poſt frigidam; illa enim aëri ambienti eſt ſimilis, hæc vero minime.

CAPUT III.

De aquæ marinæ, vini, & aceti facultatibus; & quibus partibus & morbis curandis proſint, obſintque.

MAris aqua pruritu & mordaci ſenſu adfectis tum lotione, tum fotu calida prodeſt; non adſuetis quidem carnes adtenuat. Ulceribus autem & ambuſtis & deſquamatis & reliquis hujuſmodi adverſatur. Puris vero apta, bona eſt ad probe extenuandum, uti piſcatorum ulcera: hæc enim neque ſuppurant, niſi attigeris, & ad fracturarum faſcias. Quin etiam depaſcentia ulcera ſedat ac ſiſtit, ut ſal, ſalſugo, & nitrum. Hæc autem omnia ſi quis parcius quidem utatur, irritant; ſi vero liberalius bona ſunt. Calor vero ad plurima melior eſt.

Acetum cuti & articulis admotum aquæ marinæ ſimile eſt, potentius tamen in perfuſione & fotu; valet etiam ad ulcera recens vulneratis, & ad ſanguinis grumos, ubi nigror eſt in pudendis, & aurium ac dentium ardor adeſt. Calido autem hæc & alia fiunt, ſed & ex anni tempore conjectura facienda eſt. Ex eliquatione ſal, etiam ad alia quæcunque impetiginibus, lepris, & vitiliginibus conducit, in ſole calido inſpiſſatum; præcipue vero unguibus ſcabris confert, quos temporis progreſſu ſuperat, verrucas formicarias attenuat, aurium ſordibus medetur, cutem etiam emollit. Multis quoque aliis modis valeret, niſi odore, præcipueque mulieribus noceret. Valeret & ad podagram, niſi cutem vulneraret: eadem aceti fæx præſtat.

Vinum dulce diuturnis vulneribus aſſidue utenti idoneum, etiam ad medicamentorum potiones; at auſterum vinum, & album, & nigrum, frigidum ad ulcera adhibetur, frigidum propter caliditatem. Quæ refrigerationis quidem gratia, aut perfunduntur, aut induntur, aut imbuuntur, velut aqua frigidiſſima adhibendæ. Quæ vero adſtrictione indigent, ea vino nigro cum lana irrigato; velut etiam betarum folia, aut linteola in plurimis, quæ adſtrictione valent, intincta adhibentur, qualia ſunt hederæ albæ folia, aut ſi quæ ſunt magis acerba ac friabilia; velut hedera & rubus, rhus coriarius, ſalvia, & quæ mollire oportet, quale quid farina cocta facit.

CAPUT IV.

De diverſis aquæ calidæ & frigidæ facultatibus & effectibus; quas utraque lædat, juvetque partes, & quos morbos inferat, curetque.

FRIGIDA puſtulis rubicundis prodeſt, quales latiuſculæ alſa atque alia parte erumpunt, quales in iis, qui lienes tumidos habent; in carnoſis autem & molli carne præditis admodum rubicundæ ſunt; in nigris vero, & veluti rotundæ (ætholicas vocant) & quales in calidis lavacris excitatæ oboriuntur, ac mulieribus ex menſtruorum ſub cutem recurſu fiunt, & ex cutis irritatione, aut inſolita aſperorum veſtimentorum geſtatione, & ob ſudoris exitum, aut quum quis ex frigore derepente ad ignem, aut calida lavacra acceſſerit; nam ſi poſterius hæc fecerit, neutiquam amplius erumpunt. Alioqui, quæ ex frigore oriuntur, aut quæ ad inſtar milii exaſperantur, dein exulcerantur, iis quidem no-

cet frigida; calida vero prodeſt. Quibuſdam autem utraque prodeſt, velut articulorum tumoribus, & (doloribus) ſine ulcere (&) podagris, & convulſis plerisque.

Hoc conſtat, frigidam copioſam ſudoribus adfuſam, extenuare, & dolorem ſtupefacere. Moderatus autem ſtupor, dolorem tollit; calida autem adtenuat & emollit. Podagricis, reſolutis, tenſionibus, convulſionibus hæc conferunt. Diſtentiones, tremores, leves ſiderationes, ac ejusmodi adfectiones remittunt; aut claudicationes, torpores, vocis defectiones, atque alia hujusmodi, & inferiores ſuppreſſiones.

In frigidæ tamen uſu potius, quam calidæ, quatenus ea utaris adtendendum: at articulis induratis, aut ab inflammatione quandoque oborta, aut a diſtortione, ante omnia mederi convenit, calida in utriculum infuſa, & manui immiſſæ adligatum. Oculorum lacrymas lenit, ſi quis acrimoniam leni aliquo unguento illinat, ne eas ſalſus humor attingat. Foſſulis quoque ablutio confert, & repletio ad naturam adducens. Calida oculis prodeſt, doloribus, ſuppurationibus ex lacrymis mordacibus, ſiccis omnibus.

Frigida hominibus dolore carentibus, valde rubicundis, humorum collectiones in venis facere ſolent: qualia ſunt ſtrumoſa circa thoracem, & alia dura. Recto vero inteſtino & uteris non admodum confert, neque ſanguinem in frigore mingentibus. Ulceribus frigida quidem mordax eſt, cutem obdurat, tumorum dolentium ſuppurationem impedit, livorem & nigredinem inducit, rigores febriles, convulſiones, tenſiones: interdum quoque in tenſione absque ulcere, juveni corpulento, æſtate media; frigidæ multæ perfuſio cum contigerit, caloris revocationem facit; calor autem hæc ſolvit.

Calida ſuppuratoria eſt, non in omni ulcere, maximum ad ſecuritatem ſignum, cutem emollit, adtenuat, dolorem tollit, rigores, convulſiones, tenſiones mitigat: ipſam quoque capitis gravitatem ſolvit. Plurimum autem fracturis oſſium confert; præcipue vero denudatis. Ex his autem maxime, qui in capite ulcera habent, & iis, quæ præ frigore aut moriuntur, aut ulcerantur. Ulcerationibus itidem tum voluntariis, tum involuntariis, & quibus cutis abraſa eſt, herpetibus exedentibus, denigratis, ſive in gingivis, ſive in aure, ſive in ano, ſive in utero. His enim omnibus calida amica eſt, & judicatoria: frigida vero adverſa eſt, & interimit, præterquam in quibus ſanguinis profluvium metuimus. Atque ad hunc modum adhibendæ ſunt liquidorum perfuſiones, unguentorum illitus, foliorum aut linteorum impoſitiones, & quæcunque in cataplaſmate adhibita refrigeratione & caliditate proſunt, aut nocent.

LIBER DE MEDICAMENTIS PURGANTIBUS.

PRÆFATIO.

QUÆDAM habet ex aphoriſmis deſumta, & theoriam electivæ purgationis ſecundum quatuor humorum differentiam audacter defendit.

MEDICAMENTORUM purgantium res non ita ſe habet, quemadmodum vulgo pu-

tatur. Eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur. Quandoque vero alia purgat, quam quæ purgare ſolet. Aliquando nimium purgat. Aliquando ea, quæ debet, facit. Quare fieri non poteſt, ut quis medicamentis confiſus, ea temere exhibeat. Nam & cibos nos alentes medicamenta eſſe, putandum eſt; verum minus, quam illa. Homines enim, qui his recte in cibo utuntur, ſani ſunt: qui non recte, ægrotant: qui vero modum excedunt, purgantur quidem velut a ſinceris medicamentis: verum minus & tardius, quam a ſinceris medicamentis. Clarum igitur eſt, quod & hi medicamenta exſiſtunt. At vero hi tardiores, qui & familiares nobis ſunt, & quotidie in corpus ingrediuntur, ſi temere, & negligenter exhibeantur, temere homines turbant, & quodam modo morbos inducunt. Quin & ſinceros, & acidos cibos ſi quis citra delectum, ac inconſiderate exhibeat, nihil commodi perficient.

Oportet igitur primum bilioſis dare, quod bilem purgat; pituitoſis, quod pituitam; hydropicis, quod aquam; atrabiliariis, quod bilem atram. Si vero extra hæc purgaveris, quæ quidem purgari debent, non purgabis: quæ vero non debent, ea evacuabis. Quare in utramque partem peccabis.

Quum itaque pharmacum alicui dare voles, ſive deorſum, ſive ſurſum purgans, interrogare ipſum oportet, an prius biberit medicamentum, & an alvus ex deorſum purgantibus cita ſit, & celeriter obediat, aut dura. Et ſi citam, ac facilem ſolutus eſſe dixerit, mollioribus, & paucioribus medicamentis opus habet; ſi vero dura fuerit, fortioribus indiget. Idem modus in ſurſum purgantibus requiritur. At ſi nunquam neque ſurſum, neque deorſum ſe purgatum eſſe dixerit, neque medicamentum bibiſſe; cognoſcere oportet,

an ad ea, quæ ſanus in corpus ingeſſit, alvus deorſum ſolutu facilis fuerit, aut ſurſum verſus adpoſita ad vomitionem, & an ad repletionem aliquam alvi profluvium ipſi ſucceſſerit. Hæc omnia interrogare oportet, quo recte conſulere poſſis. Turpis enim eſt calamitas, medicamento purgante dato hominem occidere.

Quicumque igitur a febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris. Sin minus, ſaltem non intra quatuordecim dies. Carnes enim ipſorum, & ventres, quum calidi ſint, medicamentum adſumunt, & nihil depurgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii ſpeciem præ ſe ferunt. Commota enim bile, & non purgata, non ſorbere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur; & plerumque perit. Si vero detinet medicamentum, ante meridiem nihil purgatur: a meridie vero nimium purgatur, & perit. At ſi hac die ſuperſtes maneat, & una cum purgatione remittat febris, ſanus fit. Quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgatoria exhibere non oportet.

Verum ſi alicui opus fuerit, infuſum per clyſterem adhibere potes, quotieſcumque volueris. Hoc enim minoris periculi eſt. Juxta eamdem rationem etiam tempore æſtatis, a canis ortu, per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, ſed infuſis per clyſterem uti. Idem enim periculum imminet.

DE

DE VERATRI USU.

PRÆFATIO.

PLERAQUE excerpta ſunt ex Aphoriſmis, prognoſtico & prænotionibus ptiſana, & muliebribus, quos libros auctor citat, tamquam ſuum. Sub finem aliqua pleniora habet de purgatione per ſeſamoïdes.

HIS qui non facile ſurſum purgantur, ante potionem corpora præhumectare oportet uberiore alimento & quiete. Ubi vero quis bibit veratrum, ad motus corporum magis ducere, quam ad ſomnos. Declarat autem navigatio, quod motus corpora turbat. Cum veratrum magis ducere voles, corpora moveto.

Veratrum periculoſum eſt ſanas carnes habentibus. Quicunque in pharmacorum potionibus non ſitiunt; dum purgantur, non ceſſant purgari, priusquam ſitierint.

Convulſio ex veratro, lethale. In nimia purgatione, convulſio aut ſingultus ſuccedens, malum. In turbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi quidem qualia purgari oportet, purgentur, conducit, & leviter ferunt: ſin minus, vice verſa.

Quemadmodum autem in Prænotionibus dixi, purgatio ſurſum verſus commodat ei, in quo ſine febre eſt cibi faſtidium, aut ſtomachi punctura, aut vertigo, aut os amarum, & in ſumma doloribus ſupra ſeptum transverſum: at deorſum verſus, ubi ſine febre eſt tormen, lumborum

dolor, genuum gravitas, menſes ægre prodeuntes, dolores in partibus ſub ſepto transverſo.

Vitare vero oportet pharmacorum potionibus eos, qui bona habent corpora, maxime autem nigros, & humida carne præditos, ſed & ſubſiccos & balbos, ac blæſos.

Quicunque vero inflammata in principio morbi, velut in libello de Ptiſana dixi, ſtatim medicamento ſolvere adgrediuntur, hi de eo quidem, quod diſtentum eſt ac inflammatum, nihil auferunt (neque enim remittit qui crudus eſt adfectus) ea vero quæ morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, conſumunt. Corpore vero debili fiente, morbus ſuperat, & immedicabile malum habent.

Cæterum veratrum his dare oportet, quibus de capite fluxus fertur. Non autem dandum eſt pectore ſuppuratis. Neque medicamenta danda ſunt decoloratis, raucoſis, lienoſis, exſanguibus, ſpirituoſis & ſiccum tuſſientibus, ſiticuloſis, flatuoſis, & his qui præcordia, & latera, ac dorſum diſtenta habent, & torpentibus, & obſcure videntibus, & quibus aurium ſonitus ſunt, & urinæ meatus impotentibus: neque item morbo regio laborantibus, aut ventre debilibus, aut his qui ſanguinis eruptiones, aut tubercula habent. Si vero medicandum eſſe videbitur, veratro ſecurus ſurſum purga, deorſum vero non. Optimum autem his eſt victus rationem conſtituere.

Quemadmodum autem in Prædictionibus dixi, non ſunt medicamenta danda his qui nigra evomunt, neque cibum averſantibus, neque deliris & parum dormientibus, neque dolore vexatis, neque viſum temerarium inclinatum habentibus, neque tumefactis, neque vertiginoſis, neque decoloratis, neque his qui in febre æſtuoſi ſunt ac confracti.

Sicut autem de ptiſana dixi, ſeſamoides ſurſum purgat: potio ejus eſt drachma dimidia in aceto mulſo trita. Commiſcetur etiam veratris tertia potionis pars, & minus ſuffocat. Purgat item quartanas diuturnas, & diuturna febri lipyria vexatos: & eos, in quibus non eſt ſitis, neque excretio (hos vero non ante tres hebdomadas) aliquando etiam pleuriticos ac volvuloſos. Et ſicut in Muliebribus morbis dixi, purgaudum eſt etiam, ſi uteri purgatione opus habuerint.

DE ANTIDOTO

EX ACTUARII METHODI MEDENDI V. 6

CORN. HENR. MATHISIO

INTERPRETE.

PRÆFATIO.

PRIOR ex Myrepſo, farrago aromatum; altera diverſa, ex NICOLAO.

ANTIDOTUM Hippocratis, quo uſus corona Athenis eſt donatus. Fronti ex vino illitum capitis dolorem mitigat, & aurium dolori prodeſt: ex oleo veſtium flocco injectum, nec ſecus ore detentum, ejus dolorem ſedat.

Dandum eſt autem ex hydromelite, nucis avellanæ magnitudine; tuſſientibus lienoſis, jecinoroſis, ſanguinem exſpuentibus, calculoſis laterum

inflammationibus, ægyptiæ fabæ magnitudine, ex oxymelite mero, cyathis tribus, iſchiadicis, inteſtinorum dolore vexatis, lupini magnitudine in decocto pæoniæ, a prima luna uſque ad extremam. A larvis dæmoniiſque occupatis, nucis ponticæ magnitudine, in lacte aſinino: quartana laborantibus ex aceto mulſo: deſinente luna.

III. Calami aromatici, junci odorati, ſabinæ, ſingulorum triens: ſeminis viticis, cardamomi, cyperi, crocomagmatis, ſingulorum quincunx, nardi celticæ ſelibra, aſpalathi ſeptunx, ammoniaci uncia, pilularum cupreſſi quadrans, (roſarum quadrans,) ladani, myrrhæ, thuris, ſingularum libra, baccæ juniperi minoris quadraginta; hæc ſimul privatim, funditor: ſpicæ nardi ſelibra, coſtis triens, folii bes, caſiæ ſelibra, amomi quadrani hæc quoque privatim tundito: maſtiches triens, & hoc ſeorſum in mortario teritur: ſtyracis dextans: ſtyrax paulatim, bellariis in mortario adjicitur, terebinthinæ libræ tres, mellis attici libræ quinque, vini veteris quod ad bellaria maceranda ſatis eſt, munde & ſedulo melle excipiens conſice.

ANTIDOTUM EX NICOLAI ALEXANDRINI

DE COMP. MEDIC. I. 365.

LEONH. FUCHSIO INTERPRETE.

ANTIDOTUM Hippocratis faciens ad omnia mala, præcipue vero ad tabidos, ſanguinem

ſpuentes, & pleuriticos. Habet cumini græci veteris drachmam unam ſemis, petroſelini macedonici, opii, caſtorii, ſingulorum drachmam unam, aſari, croci, ſtyracis calamitis, ſingulorum drachmam unam ſemis, ſpicæ nardi, caſiæ, ſingulorum drachmam unam, mellis aut ſacchari quod ſatis. Datur carentibus febre cum vino veteri: febricitantibus autem cum aqua temperata.

LIBER DE EXSECTIONE FETUS.

PRÆFATIO.

Brevis libellus docet ut fetus fruſtillatim conciſus ducatur, & caput confringatur. Mirificam etiam docet concuſſionem feminæ in caput datæ, ut fetus in ſpatium amplius relabatur. Uterum elapſum repoſitum incidere jubet, & fricare, quoad inflammetur.

De his, qui non juxta naturalem modum pariuntur, ſed exſcinduntur, hoc modo ſe res habet. Primum quidem ſindone ſupra mulierem injecta, eam ſupra mammas circumdato, & caput obvelato, ne videns, quod facturus es, timeat, ac exhorreſcat. Si itaque fetus oblique prolapſus manum protenſam habuerit, manu adprehenſa foras producere, quam maxime conare, & brachium ipſum excoriato, atque ubi os brachii denudaveris, ſquatinæ pellem circum duos manus digitos obligato, ne caro lubricitate ſua elabatur. Dein-

Q 3.

de vero carnem circa humerum reſcinde, ipſumque juxta juncturam exime, poſtea caput juxta naturam protruſum foras producere tenta: fetum vero ipſum intro protrudito ferramento per latus, & coſtas, ſive claviculam adacto, quo flatum emittat fetus, & conſidat, ac contrahatur; atque ipſi facilior exitus pateat.

Cæterum caput, ſi fieri poteſt, juxta naturam extrahe, ſin minus, confringe: atque ſic fetum una ſubextrahe. Poſtea calida large perfuſam, & oleo illitam decumbere jubeto, pedum ſitu alternatim variato. Bibat autem vinum dulce, album, meracius temperatum, ſed & reſina melle trita, ac vino admixta, in potu præbeatur. De cætero vero curanda eſt, velut dixi, juxta ea, quæ relata ſunt.

Quum vero parienti mulieri fetus oblique prolapſus fuerit; id, quod contingit, dum vertitur puer, & umbilicus circum collum obvolvitur, & exitum fetus impedit, & caput in coxendicem incumbit, & manus ut plurimum foras prominet, quod ipſum mortui fetus ſignum eſt. Quibus autem manus non exſerta eſt, ut plurimum vivunt fetus, periculum autem etiam hoc modo eſt. Aliquæ enim purgamenta ante partum mittunt, & neceſſe eſt cognoſcere ex eo partum ſiccum & cum dolore laborioſum eſſe. Quibus autem purgamenta ante partum non prodeunt, hæ in pariendo facilius liberantur.

Concutere porro opportet hoc modo. Sindone ſubſtrata mulierem reclinabis, & aliam ſuperinjicies, quo pudendum ipſius ſit obvolutum, obvolveſque ſindonem circum utrumque crus, & circum utramque manum. Mulieres autem duæ utrumque crus adprehendant, & aliæ duæ utramque manum, deinde concutiant valide ipſam tenentes, non minus, quam decies. Poſtea in lectum

reclinetur mulier in caput, ita ut crura ſurſum vergant, & mulieres omnes ipſam pedibus corripiant, manibus dimiſſis, ſæpeque concutiant, ac rejectionem in humeros faciant in lecto, quo fetus in ſpatioſiorem locum retruſus vertatur, & naturaliter prodire poſſit. Et ſi dictamnum creticum habueris, ipſum bibendum dabis: ſin minus, fibri teſtem in vinum chium derades.

Si vero uteri foras prodierint ſive ex dolore, ſive ex partu, ſi quidem juvenculæ fuerint, adgreſſionem facito: ſin minus, ſinito. Adgreſſio autem hoc modo fiat. Pelliculam uteri juxta naturalem modum, & oblique inciſam linteo confricato, donec inflammetur, & illinito phocæ oleo, ſive adipe, aut pice, aut mali punici flore integito, & molles ſpongias vino reſperſas adponito, & ex humeris ipſas adligato. Mulier vero decumbat cruribus quam maxime ſurſum verſus porrectis, moderatis autem eduliis veſcatur.

VETERINARAI

PRÆFATIO.

Nuperioris alicujus ſunt HIPPOCRATIS, *ejus forte, qui inter veterinarios eſt: farrago medicamentorum, quorum multa undique ſuperſtitioſa. Morbum a ſoricis morſu natum hic reperias.*

PASTILLI AD MALIDEM BACCARUM lauri ſextantem, ſpumæ nitri quincuncem, ſulphuris ignem non experti tan-

tundem, myrrhæ quadrantem, crocomagmatis ſemiſſem, iridis Illyriacæ quadrantem: ſeminis apii, ariſtolochiæ, ſingulorum pares modos. Ea ſimul pilæ injecta, & tantisper detrita, dum fatiſcant in polentam, adjuncto vino, in paſtillos digeruntur. Cum poſtulabit uſus, ex albo vino faucibus infunduntur.

De pulmone.

Equo, cui pulmo negotium exhibet, humida naribus produunt, & gravem ore ſpiritum efflat, ilia habet convulſa.

Ratio infundendi talis. Fructus arborum adſtringentiſſimi quique in una vini hemina & olei menſura pari decoquuntur, & per os faucibus induntur. Levi cibatu contentus eſſe debet. Ervum hordeo permiſce, aut ſuillum cerebrum in vini hemina coque, olei tres cyathos miſce: quod ſatis videbitur infunde. Odorata potione ſimiliter (utendum), vel gallio tantisper incocto, dum prorſus intabuerit, ſextarius unus vini commixtus ingeritur. Sanguis, ſi (tantum) robur adeſt, ut mitti poſſit, detrahendus. Gramine aut medica paſcendus. Adſpergendus farina potus, ut eo (fultæ) animalis vires vegetæ ſerventur.

De ſanguinis miſſione & cibatu.

Noſſe videtur optimum, unde, quibus horis, quonam pacto & quibus modis ſanguis ſit equo dimittendus. Et naturas habitusque explorare.

Si quidem nonnulli ſecunda conſtitutione præditi ſunt, alii graciles, alii morbis patent. Et idem ſanguis non ineſt, ſed ne ſimilis quidem omnibus vitiis invenitur, verum colore ſanguis in

unoquoque vitio diſſidet. Eorum enim qui inoffenſa valetudine degunt, ſanguis bene temperatus eſt, copioſus, flavus: quibus, ne vitium inſideat, ſanguis detrahatur. Elangueſcentium ſanguis varius eſt, & ſpumoſus: ſed eorum, qui hordeationis vitium ſentiunt, eſt ater & glutinoſus.

Primum itaque diebus ſenis equus viridi pabulo recreandus, nervoſis campis, quamdiu (læta) farrago & ſuavis exit, quæ novum in venis ſanguinem creet, & (ſic) robuſtior equus reddatur. Sanguis hora ſecunda diei detrahatur.

Sed poſtquam ſermonem hac de re fecimus, ſuper eſt, ut quonam deceat pacto ſanguinem qui gravat, evocare, proponamus. Cervicem primum erectam oportet loro circumplecti, & tantisper contendere, dum tori venarum protuberent neque ſcalpellum tamen penitus adigere, quando quidem ſi ferramento tranſigatur vena, non temere coibit, erumpenſque ſanguis ægre ſupprimi poterit. Si de temporum venis ſanguis ſit emittendus, laqueus capiti circumponendus, vinculoque juxta aures diſtringendum, donec adpreſſu venæ tumeſcant: poſtea, uti diximus, vena non alte ſubcidenda.

Ut armentitiæ concipiant.

Si gregalem equam concipere velis, urticam in os equi pellito. Si vero quæ ſemel aut iterum ventrem pertulit equa, partum edere deſierit, hoc auxilio reſtibilis fecunditas redditur. Aniſi acetabulum, myrrhæ ſeſcuncia, croci ſemuncia diligenter & munde ſimul contrita digeruntur in adultarum glandium formas, quæ ſigillatim in equæ naturalia, dum uterum ſubeant, impelluntur. Ge-

nitales loci antea ſubluantur, & fervefactæ marinæ fotu madeſcant, oleoque inſtar unius heminæ cum ſtrigmentis balnearum lumbi et genitales ſedes feminum tenus, bis die defricentur, uſque dum eam concepiſſe conſtiterit. Quinto ſeptimove quoque die ternæ lactis heminæ cum roſacei parte quarta & hiporrhiſi drachma, adjectis quinque piperum granis & mirrhæ ſicilico, cum efferbuerint, tepefactum jus fiſtula longa, quæ ad vulvam perferat, infunditur. Hordeaceam farinam in aqua coctam, dum partum enitatur, dabis potandam.

Strumoſis.

Strumas maxima ex parte parit aquarum mutatio: exitque tuberculum juglandis magnitudine: cui candens ferramentum admoveatur.

Si tamen tuſſis premit, & contentius infeſtante vitio, grave olens ſpiritus redditur: ea quæ leniunt infundenda, ne laceſſita tuſſis acerbius infeſtet. Irritata ſiquidem arteria noxam trahere conſuevit. Ergo cedrinus liquor decoctus, & linteolo collatus, tam illitu quam infuſione prodeſt. Poſtremo odorata potio quam aromaticam vocant, ex vino, oleo, melle, ovis, inſtilletur. Sed inter initia ſanguis a cervice demittatur.

Compoſitio ad ſtrumas. Ficuum libram, nitri, galbani, propolis ſingulorum ſelibram, picis ſextantem.

Aliud. Si ſub maxillis ſtrumæ vel tubercula prodierunt, primum fomentis utere, quibus tentatis, fici & tuſum nitrum miſcentur cum axungia vel hordeaceo farre & decoquuntur in hydromelit & oleo, dum cataplaſmatis lentorem referente & illinuntur. Quod ſi non ſanetur, exſcindi debet & vulnus aduri.

Strumas, furunculos & articulorum nodos medicamentum emollit, quod habet iridis illyricæ, irini, ſingulorum ſelibram, ceræ unciam ammoniaci quadrantem: quæ cum cera in irino oleo liquefacta miſcentur, & cum uſus requirit admoventur.

Si fuerit in animo malagma componere, quod laſſitudinem reficiat, acopum vocant: galbani, opopanacis ceræ, laſeris, ammoniaci, ſingulorum dextantem, aridæ reſinæ pinus ſingulorum unciam, reſinæ colophoniæ dextantem, commiſcebis. Eo laſſitudine diſcutiuntur.

Sequens medicamentum diſſipandi naturam habet. Buccina marina ignibus adoletur. Eorum cinis cum melle coctus illinitur.

Tuſſi.

Tragacantham quam minutiſſime diſſectam, hordeo ervoque quod edendum objeceris, permiſceto. Aut per triduum eamdem tragacantham in una vini hemina maceratam, cui oleum ſit adjectum, infundito. Aut radicem rutæ in aquæ hemina decoctam, clyſtere ſubdito, & parem modum in fauces dato. Hordeum quoque ſucco myricæ tunſæ conſpergatur.

Sed ſi purulentum quid ore aut naribus rejiciat, adeps ſuillus qui puerili urina triduo maduerit, & in ſingulis vini & olei heminis incoctus ſit, infunditur. Aut lauri baccæ decoctæ tunduntur, polentaque & vetus axungia vino dulci reſperguntur: quæ coacta in offas, quotidie inferuntur faucibus. Vel artemiſſia herba, quæ in aqua & olei hemina decocta ſit, inditur. Malva in vino dulci et oleo cocta idem præſtat.

Aliud. Marrubii manualem faſciculum addito, vini candidi ſextario, item foenum græcum ma-

ceratum, ficorum pinguium ſextarium, aut palmulas eadem proportione ubi decoxeris ad tertias, per triduum propinabis. Quinetiam ad ungulas uſque delibuto tergore corpus imbues. Item furfuris decocti & quam optime preſſi, (tortivus) cremor linteo percolatus, addito oleo quod acerbæ olivæ remiſerunt, exhibendus eſt. Sed hanc animadverſionem deſiderat, ne evolutus furfuræ cortex huic immanſerit. Suilli adipis coactas offas butyro & melle exterius oblitas per os inferes.

Aliud. Braſſicæ ſuccus, cui ſatis aminei vini adjectum, infunditur.

Luxatis armis.

Si in armorum crurumque compaginibus claudicatio concitetur. Hæc ſunt indicia. Nec anterius crus poteſt extendere nec replicare, ſed ad ſe contrahit. In deſcenſu quoque præcipitanter fertur. Huic olei & vini ſublitu ſuccurritur. Sanguis prioribus cruribus detrahendus. Septem dierum ſpatio perluitur, dein uno die puerili ſtrigmento cum vino & aceto linitur.

Aliud. Si equus aut aliud veterini genus armum e ſuo ſitu promovit, hunc humi proſternito, ita ut armus ſua ſede deturbatus in ſuperiorem partem veniat: & ubi pedem adligaveris, & arbori nixus extenderis, pectori velluſculum imponito, in perforatam armi cutem ficulneos clavos ſpatio quatridui pangito, & circumdatis vellere clavis oleo liberaliore proluito. Poſt quatriduum reſolvito, dumque ſimiliter clavos refixeris rurſum eiſdem eluito.

Dolorem armorum lenit hoc medicamentum. Autolycium vel veratrum candidum, & putamina quatuor ovorum cremata, cucurbita, ceraſia,

tria, & ſilveſter cuminis, una tunduntur, ut cataplaſmatis lentorem, referant, & ita imponuntur.

De Jecinoris dolore.

Si jecinoris dolore conflictetur equus, a curſu ilia ducit. Non nihil in pulmonibus rumpitur, concidit corpus, pabulum faſtidit, venas recurrens ſanguis explet. Hunc ſanguine a cervice miſſo curabis; myrrha & thure inſtar denarii cum vini hemina infuſis. Sed & vino miſto oleo obline. Sed (pecudis faſtidio ſuccurratur) dato potui ſimilaginis cremorem: & cibum, ſiquidem cupit. Si vitium permanet, ab utroque alarum ſinu ſanguinem detrahere conveniet.

Quosdam hoc vitium cepit, cum per lapidoſum ſolum, aut per aſpera loca vel lapidibus conſtrata vehementius procurſarint: quibus acetabulum cumini cum vino & oleo immitte.

Aliud. Mellis nitri, ſingulorum acetabulum, cumini acetabula duo, vino immittuntur, & olei aquæ ſinguli ſextarii ſuper hæc conjiciuntur, & per nares inſeruntur.

Si iis bona valetudo reddita non eſt, ſanguis a prioribus cruribus ſub genua detrahatur. Si ne ſic quidem dolor finitus eſt, ſub alis tertia coſta candenti virgula vel bacillo per medium aduratur, interjecto quatuor digitorum ſpatio. Lacuſtres ranas cum vino tepefactas, triduo per os ingere.

Hæc potio jecinoroſis præſidio eſt. Pinea nux quam tenuiſſima, croci unica, cumini æthiopici tantundem, ea diligentiſſime creta, in vino præbentur. Item polemonium auxilio eſt, quod in paluſtribus enaſcitur calaminthæ ſimilitudine, amaro guſtu: ſilveſtre origanum, cum farina piperis

& vino, aut butyrum & mel, panacem & myrrham, æquis ponderibus trita, & cum vino miſta, per nares utile eſt infundere.

De rigore nervorum & Opiſthotono.

Caſiæ drachmas tres, myrrhæ troglodytidis ſiciliquum, tragacanthæ drachmam unam, ea leviſſime contrita in ſingulas potiones demittito drachmas tres, & ovorum candidum liquorem, & olei heminam unam, vini veteris tantundem, mellis ſextarium, per triduum infundito. Sed antequam pabulum ſumat, dato ervi parum torrefacti, aut item freſæ fabæ, heminam.

Aliud. Si opiſthotono infeſtetur equus ritu canis humi conſidet, & poſteriora priores partes ſequuntur. Huic ſanguis ex inguinibus mittendus, & calida fovendus aqua. Mox oleo laurique baccis vino commiſtis illinendus. Caput caprina pellis induat. Lumbi eodem liquore perfundantur. Porro myrrhæ quadrans croci pondo denarii, olei quatuor heminæ & vini ſextarius unus infunditur.

Aliud. Gummi ammoniacum, reſinam colophoniam, galbanum, bdellium, opopanacem, axungiam, ſulphur ignem non expertum (medullæ cervinæ quantum ſatis addito) infunde.

Si nervorum diſtentione laboret equus, toto contremiſcit corpore, ſimul & horrore concutitur. Exſurgens retrocedit, iterumque rectus adſurgit, & ſudat. Cui ſic ſubveniendum. Venæ pectoris ſolvendæ, dein ſedis. Mox calida largiore proluendus. Dein cerato corpus ungendum. In tenebris ei ſubſternendum. Conquieſcat in equili. Cum huc ventum eſt, ut paucos gemitus exprimat, fœnum nitro adſperſum detur edendum. Hordeo, donec periculis defunctus ſit abſtineatur.

Rigoris præſagium, & remedia.

Si equus rigore nervorum tentetur, caput immobile cervici innectit, nec niſi magna difficultate ſe revolutat. Venæ dorſi diſtentæ velut in podagra rigent. Aures in obliquum jactæ ſubriguntur. Os ſiccum eſt & labia. Tum cyathum meri calefacti, & tantundem medicamenti quod podagricum appellant, qua ſpiritus nare prorumpens, magis cohibetur, hæc infundes. Quod ubi infuderis, curſu confeſtim agitetur, ſitque reliqua dies abſtemia: in qua nihil prorſus præter farinam in cœna prandioque detur hauriendum.

Ejusdem Tetani præſagia & curatio.

Primum aures equi ſurrectæ contenduntur. Oculos monſtrat inverſos, non niſi tarde admodum verti poteſt, ſed corpus totum in orbem fere contorquet, nec in rectum pedes explicat. Cervix rigida ſentitur. Ergo ſi os concludatur, vitam fame finiet, niſi confeſtim uſtione ſubveneris. Hanc igitur ab oculis auſpicatus, eorum ambitum ferramentis candentibus exulcerabis. In cervice lineas tres protrahes. In ilibus ductos totidem verſus ſulcabis: ſed in ſpina longiores: in lumbis juxta ſedem tres utrinque duces. Vulnera igne concepta dulcibus unguntur, & aceto foventur. Diebus ſeptem ſalivandum ægrotum pecus: octavo calida aqua vulnera laventur, & lycio ſanentur. Turundæ e ſuccidis lanis factæ & melle imbutæ ulceribus indantur.

Ad citatum ventrem.

Alvus plerunque corpus & vires carpit, operique veterinum reddit inutile. Acuti rhamni cor-

tex ex auſtero vino infundatur. Aut rhamni folia cum vino auſtero potata ventrem confirmant. Et ut ſummatim dicam, omne medicinæ genus adſtringens dari poteſt. Tritici farina & polenta cum vino data opitulantur.

Præſagium & auxilia. Equi profluvio laborantis alvus, ſæpius quam ex conſuetudine, fertur, ſudor prorumpit, ſpirandi difficultas exercet. Cui ſic ſubvenitur. Bacoarum nigræ myrti ſextarius operoſe teritur, & additis ſativæ portulacæ duabus heminis, & paſſi ſextario, baccæ dimittuntur & per os infunduntur.

Si potionem hanc faſtidit, ex amylo dari convenit. Hordeo torrefacto ſuſtineatur. Si non reſtiterit citata ventris proluvies, danda erit hæc infuſio, quæ jure valentiſſimis adnumeratur.

Proluviei infuſiones.

Roſarum quas pinus edidit, rhus qua coriarii utuntur, ſingulorum libra, gallorum alexandrinarum tantundem, abſinthii, abrotoni, hyſſopi, rutæ, ſingulorum ſelibra, miſcentur, ut in unum coëant: quæ vino myſiato excepta faucibus infundentur. Laſeris ſemuncia cum diluti vini ſextario itidem ingeritur.

De torminibus præſagium & remedia.

Torminoſus equus ſic deprehenditur. Modo huc, modo illuc, frequenter in ſolum, ſe jactat. Iterum exſurgit, ſoloque tractim ventrem adprimit. Diſtorquet ſeſe, & gemitus edit. Sudore teſtes perfunduntur, & collachrymantis imaginem oſtendit. Atqui caudam protendit, & (inconſtans) quoque verſus ſe confert. Naribus ſpiritus

ritus cum fervore prorumpit. Os concluditur. Siccam linguam aſperamque recondit. Flacceſcunt aures, pendulæque demittuntur. Subinde nutat.

Calidis lotionibus curatur, operimentisque calefactus. Mox myrrhæ drachmæ quinque in vini veteris ſex heminis, per os aut nares infundantur. Poſt hoc infuſum ad curſum procedat, non intercedente longo tempore; neque tamen vehementi curſu concitetur. Pabulo largum apium, ſi ſuppetit, interponatur. Aqua calida detur potanda. Poſtquam alvum dejectione ſollicitaveris, rurſus curſitare coges, quo ſudorem poſſis elicere. Ceterum naſturtii ſemen tritum ex aqua per ſiniſtram narem dimittatur: veſtimentis contegatur. Herba quæ dicitur medica, pro pabulo cedat. Ramenta priorum unguium intrita in aquæ quatuor heminis ingerantur: aut terra ſcrobiculi, quem mus araneus defoderit, trita fundatur.

Adverſus teſtium inflammationes.

Teſtium inflammationes ſublinantur figulari creta aceto ſubacta, aut ſolano in aceto cocto. Ab inguinibus ſanguis mittatur. Frigidam aquam potet.

Si iis non diſcutiatur morbus, puerili lotio foveatur, ſubditis lapidibus molaribus candentibus, quorum halitu profuſoque vapore ſudor evocetur a femoribus. Calida profundatur aqua, oleo perlinatur. Detur opera, ut adambulet.

Ad tumorem teſtium. Cretam cum bubulo fimo, cumino & poſca tritam, illine, donec conquieſcat.

Ad deſtillationem.

Sal cum melle tritus deſtillationem ſiſtit.

Ad inflammationem recentem.

Si inflammatio recens infeſtat, reſcindi debet, & candente ferro aqua frigidà prius edomito vulnus emundari, dein ſpongia aceto madefacta per quatriduum imponi, quinto die hordeacea farina, aqua ſubacta, indi, donec vulnus cicatricem duxerit. Tum punici cortex contuſus cum lycio ſinui patefacto ſuperponitur.

Ad inflammationem & tubercula humorem aqueum eructantia, hydatidas vocant, calidi cineris unciam, calcis vivæ tantundem, cum vino & melle ſubacta, priusquam inareſcant, ulceri ſuperlines. Eo remedio pugnabis ſi recentia fuerint tubercula. Quod ſi vetuſtatem ſenſerunt, more reliquorum, ubi egregie aduſſeris ferro, medicamentum poſtulabunt.

Labor hujus morbi cauſam adfert, præſertim cum equus aſpero loco vel lapidoſo vehementer agitatus fuerit, aut ingenti pondere degravatus iter fecerit, aut dorſuarius ſarcinam comportaverit.

Aliud. Rhododaphnæ, bituminis, nitri, axungiæ, ſingulorum quadrantale pondus colatum miſtumque in medicamentum coge, & poſtmodum illine.

Ad dolorem nervorum & hydatidas.

Qui quodam humorum coitu abſceſſus exſiliunt, ferro ſunt aperiendi, deinde tentanda hæc curatio. Adipis taurini, galbani, bdellii, piperis candidi, ammoniaci, ſingulorum pondo quadrans,

pollinis thuris pondo triens, baccarum lauri pondo uncia, miſcentur ut in medicamentum concreſcant, quo vulnus omne ſanari conſuevit. Nec ab hac curandi ratione tum abhorrebit, cyclamini radicis crematæ cinerem cum ervi farina melle acetoque ſubactum ſuperponere vulneri.

Si vero vulnera penetrent altius, quam ut horum vim poſſint ſentire, linamentis rubrica melli miſta madentibus oppleantur, mox pannus aut ſpongia poſca imbuta admoveatur. Multis tritas gallas aut marrubii ſuccum cum fuligine ſatis eſt impoſuiſſe.

Ut inflammatio ferrum non experiatur. Sinapis, ſalis alexandrini, ſingulorum ſextula, naſturtii, aceti ſcrupuli duo, axungiæ veteris ſeſquilibra, omnia ſimul terantur, illitaque linteo per triduum imponantur: dein ſoluto medicamine, deletili ſpongia cyrenaici laſeris imbre rorata defricentur.

Sic ulcerum cruſtæ fatiſcunt. Pœni florem uſtum cum frigida poſca tantiſper admove, dum inflammatio prorſus conſederit, & evanida abierit: deinde tritas alliorum ſpicas talis impone. Eſt autem hoc inter probatiſſima remedia.

Cum artus luxati dehiſcunt, aut aquoſa ſcatent uligine, aloën, mannam thuris, picem brutiam una conteres, triticeam farinam adjicies, & candidum ovi liquorem, quo excipiantur reliqua. Dein articulis adglutinabis, diligenter charta deligabis. Poſt aliquot dies reſolves. Rurſus idem remedium dum conſaneſcet adhibebis.

Si poplites inflammationem ſentiant, ceræ, bituminis, ſulfuris ignem non experti, paria pondera reſolvuntur, quibus calidis poplites ſublinuntur, furfures imponuntur ex aceto.

Aliud. Si in equorum armis nervi craſſiores protuberent, aut nodi, quos condylomata vocant, occalluerint, eos adurere neceſſum eſt. Si vero ex articulorum ſede proſilierunt, ſanguinem opus erit emittere, molliterque membra fricare. Conducit & tali uti remedio. Oleum cum aceto lana exceptum, per quatriduum articulis imponendum, ſic ut quotidie id genus medicamenti admoveatur. Poſt hæc calido auxilio firmandi ſunt articuli. Cujus remedii compoſitio hæc capit, ſinapis purgatæ libram, galbani quadrantem, medullæ cervi tantundem, aceti quod ſatis eſſe videbitur.

Si defluxio pedes equorum occupet, genua tumeſcunt & claudicat. Si vero poſterioribus inſideat, teretibus ferramentis uratur, interiore ſuffraginum flexu, quinque locis, exterius utrinque latis. Si vero in priora decumbat, a genu plagæ cancellatim imprimantur. Ulcera igne facta ut cætera ſanentur.

Si nervi plus æquo incraſſeſcant, fœnum græcum cum ficubus Afris tuſis & vino miſtum imponitur. Id poſt triduum ſolvitur.

Aliud. Si circa crura aut genua longo itinere aut multo curſu naſcantur inflammationes, proderit frigida aqua partes inflammatas perfundere, aut in flumen agere, aut alveum adverſo flumine ingredi, deinde ſpongiam, laſere, aceto, viſco, defruto, axungiaque intinctam admove.

De pilorum marcore.

Si voles id præſtare, ut jubæ, caudæque pili capeſſant incrementum, puerili urina ſublues. Poſtea calcis lixivium, ceruſam, & ſpumam argenti teres. Poſtquam aqua ſubegeris, & igni coxeris, uteris.

De fractura.

Si os in capite fractum eſt, aut cerebrum membranave ejus vulnus accepit, oculi cruore ſuffunduntur, & ſanguis oculos implet, & tuſſit, crura tumeſcunt. Talis ſervari non poteſt.

De carcinomate.

Carcinomatis optimum & præſentiſſimum remedium eſt malagma quod cicuta, reſina, viſco galbanoque conſtat, quæ ſimul coquuntur. Sed hoc auxilio calido utendum, modo locus non refragetur. Sin reclamet, ſiccis iis cataplaſmatibus & liquidis eſt pugnandum. Cancros fluviatiles uſtos tritosque cum acida fece ſuperpones. Item pineum corticem tuſum, pumicem crematum, & cicutæ ſemen, ſilveſtris etiam cucumeris radicem ex frigida aqua & aceto tritam illines, rurſumque vino fovebis.

Hoc autem uteris medicamento. Candidam fecem cum plumbagine atramentoque ſutorio tuſam, addito calcis cinere per quam ſicco, admovebis, circumdantes partes oleo perunges. Si medicamentum obduruit, ervum & mel illines.

Si carcinomata oculos occupant, ervum pinſitum ex roſaceo & ovo inſtillatur. Poſtquam vulnus purgatum fuerit, Attico melle nutriendum, ut inducta cicatrice conſaneſcat.

De meliceridibus.

Si meliceridas equus aut aliud jumentum contraxit, genibus ſanguis detrahatur. Spongia cum poſca cui mel ſit adjectum, ſuperponatur. Si permaneant, illini debent. Si adhuc perdurent, utrumque genu ferramento adure: nec alte ta-

men imprime, ſed quaſi tranſcurre, ne compages reſolvatur. Sed non plus quam opus eſt. Neque coagmentum etiam contingatur. Tum ulcera ut reliqua igne facta curari, & faſciari debent.

Aliud. Olei libras duas, ſalis ammoniaci ſextantem, plumbaginis beſſem, æris combuſti, ſquamæ æris, ſingulorum ſextantem, ſpumæ nitri quod ſit ſatis, mannæ thuris, ceruſæ, ſingulorum quadrantem. Omnia miſcentur ut in uſum veniant.

Aliud. Nitri quadrantem, foliorum rhododendri ſiccorum, axungiæ veteris, bituminis, ſingulorum quadrantem: aut ſalis ammoniaci, plumbaginis, ſpumæ argenti, ceruſæ, ſingulorum unciam, æris uſti, æruginis, ſingulorum ſextantem, olei ſelibram. Cum omnia miſcueris, utitor.

Aliud. Si melicerides equum infeſtent, medicamentis quæ agglutinando reprimunt, ſubvenies. Primo quoque die locum ſale & oleo defricabis. Secutis diebus calida aqua perfundes. Unges anſerino adipe, & butyro nutries.

Varicoſis.

Si varices noxii ſunt, hac ratione tolluntur. Scalpello cutem aperies, & candente ferramento adures. Tum ſale & oleo decem diebus defricabis. Quod ſi adhuc fatigent, ſanguinem ab vaſiculis evocabis, & ſanitati reddentur.

Interdum varices pecus male habent, ut cum ſomno excitum ſurgit, trahit pedem, ut quaſi quondam luxatus videatur. Sed preſſa manu terga ſubige, daque operam ut inambulet: & (quod luxum videtur) ſtatim ad priſtinum ordinem redibit.

Ad vermes.

Solent etiam vermes nocere: quod vitium non facile medicamentis expugnatur: ſed potius invictum, non cedit. Quorum ſigna ſunt. Se in ſolum equus abjicit volutaturque, atque ſolito frequentius hinnit.

Succus igitur braſſicæ, cum oleo nitroque per os & nares infunduntur: aut ſquamæ æris, caricarum, & atramenti ſutorii, ſinguli trientes leviſſime teruntur, & in collyria formantur magnitudine, qua nares ſunt capaces, per quas injiciantur.

Ad morſum muris aranei.

Accidit equum in ſtabulo ſæpius impeti morſu. Cum enim decubuit ipſe, ſenſim ad ilia mus araneus irrepit, qui equi motu laceſſitus, ſubjectæ parti vulnus imprimit: tumorque oritur. Cui ita ſubvenies. Triti gith acetabulum ex vino infundes: tritas allii ſpicas, ſalem, & cuminum, paribus ſingulorum menſuris vino miſtis, illines aut terram orbitæ urina ſubactam aut intritum murem araneum cum ſextario vini faucibus infundes. Sin murem araneum non inveneris, creta figulari perlines. Apii etiam ſemen coctum in vino & oleo demittes, ac tumentem locum recto ſcalpello punctim vellica.

Si per hæc inflammatio magis excandeſcat, in orbem teretibus ferramentis candentibus exulcerabit, ſanæ partis aliquid deprehendens. Rectis quoque ferramentis, quo ſanies emanet, redulcerabis. Quod ſi pars ea per ulcerationem intumeſcat, hordeum crematum tritumque conſperges. Sed antea vetuſtam adipem inungere

convenit. Ulcus non excitabitur, niſi prægnans mus araneus morſum adtulerit.

De fractis.

Si intenti pars pedis fuerit contuſa, curandi ratio hæc eſt. Ungulam ſcarificando circumciſam cocto in aqua hordeo linito, aut calidos furfures ſubactos miſto pauco vetere fimo inducito.

Si in cavo pedis, quam hirundinem veterinarii nominant, oſſiculum adparuerit, oleo & aceto imbutum linamentum triduo inculcato, deinde quod adſtringat impone: cypreſſi folia ex aceto trita, aut myricæ folia ſimiliter imponito. Aut malicorium in aceto decoctum tritumque, aut aridum in farinam redactum inſpergito. Item atramenti ſutorii & gallæ pares portiones tunſæ eundem exhibent effectum: ſed prius aceto locus eluatur.

De rabie.

Rabioſum equum hæc ſigna portendunt, oculi cruore ſuffuſi procidunt. Venæ ſolito ſublimiores micant. Hunc inedia conficit, angor ſollicitat.

Ratio curandi hæc eſt. Ubi veſtimento faciem obduxeris, quo minus accedentes intueatur, & mediam cervicem obligaveris, latas venas ſolvito, & ſanguinem profluere ſinito, donec animus eum deficiat. Deinde reſolutis colli vinculis, ruentem ſanguinem ſiſtes, & obſcuro caligantique ſtabulo continebis, quod nullo conſtrepat murmure, nullumque cieat tumultum, quo poſſit conquieſcere. Appetente vero veſpera unum aquæ congium præbebis potandum. Poſtridie ſimiliter, ſubtrahens cibos & potus ad tres usque dies, dein ad conſultam vivendi rationem reduces.

Luxatis.

Luxationis eæ ſunt indices notæ. Pes in oſſium coitu (ubi pyxidatim cohærent) qui modiolus appellatur , non perſiſtit , ſed ſubterfugiens labitur, Partes unguibus vicinæ ſublimes prominent.

Quod ad curandi rationem pertinet , circum ſcarificata prius ungula , picem & ſpongiam ex aceto ſeptem diebus obligabis.

Si non in ſedem reſtituatur , fœni græci quod buceron nominant ſextarios quatuor , effuſo vino in quo maduit , tundes inditumque fictili cum melle coques. Sic diebus ſenis illines. Veteres luxatus cancellatim ſunt adurendi.

Luxatis pedibus.

Si quæ pedibus luxata dehiſcant , ſic noſſe licebit. Manibus ungulam diſtringes. Sic excitatus adpreſſu dolor oſtendet injuriam , eoque argumento pecus luxatum cornu fatebitur. Hoc vitium equi continenter currubus juncti cum certamen initur , contrahunt.

Cui ſic ſuccurritur. Sanguis e parte coronam cingens , quam ideo periſtephanida vocant , elicitur , & ſale & aceto perfuſa defricatur , dein oleum vino dilutum , & exceptum vellere , ſuperponitur compagini unguis. Identidem calida fovetur. Hæc curandi ratio ad duodecim uſque dies adhibetur.

Si nihil iis proficitur , tum unguis , ubi neceſſitas urget, ſcalpello, deorſum ſuccinditur, dupla ſeſtertii nummi magnitudine. Quod ſi quid eminentius propendeat , vivo tenus reſecatur. Sed oſſi parcendum. Si copioſus profluat ſanguis , oleum ex aceto & ſale tenui ac ſtercore hujus equi indu-

citur linteo, quo cum ungula pes totus induitur, &, poſt triduum calda perfunditur.

Quod ſi luxurians caro ſuper excreverit, adſtringentibus & vulnerariis auxiliis cohibebitur. Crebrius cornu repurgatum, ſcalpro circumcidatur, ut hoc æquabiliter undique ſuccreſcat. Malagma quod ignem non fuerit expertum, anephthon vocant, ſenſim adplica. Si iis remediis equus non eſt adjutus, adurere neceſſum erit.

Luxati pedis præſagium, & medela.

Primum ungue ſummo graditur articuluſque micans inſilit, & pedem ad ſe trahit. Tum ſanguis e luxata parte inſtar duarum heminarum extrahitur, vinum & oleum inſpiratur. Reliqua quæ conveniunt, adhibentur. Lana fovetur. Offenditur calda. Cum melius habuerit, luxatum confricari debet, & ſuccida lana ſordidaque vino & oleo cum tenui ſale rigata circum volvi, loroque vinciri. Cæterum pes obductis faſciis calceatur, leniterque ſubſtringitur, ne vehementior perſtrictio moveat inflammationem, aut ſubditas abſcindat venulas. Ea quotidie debent admoveri, niſi die quo detrahitur ſanguis, quoad reddatur ſanitati. Si medicamentis non finitur noxa, urens medicamentum poſtulabit. Ulcus igne factum ut reliqua ſanabitur.

Fiſtulæ.

Si in equo fiſtula hiet, atramentum ſutorium aceto quam acerrimo miſtum, reſiccatumque ſinui reſpergitur: aut ſylveſtris cucumis vehementer detritus, & cum lacte marinæ lactucæ, quam vocant tithymalon, ſubactus inditur.

Medicamen ad jumentorum pedes.

Fermentum, ſalem, minium, ovum in aceto terito & linito.

Aliud, reſinæ quadrans, ceræ tantundem, terebinthinæ uncia, axungiæ duo pondo, ervi ſextarii quatuor, aceti diluti, & lixivii ſextans, picis heminæ dimidium, ſalſamenti veteris libræ duæ, mellis hemina, ſalſamentum cum omnibus teritur, & in mortarium mittitur.

Aliud. Amurcæ & veteris cedriæ quod ſatis eſt, antiquæ axungiæ par modus cum vino & viva calce, terantur ſingula ſeorſim, & quod ſatis eſt coquantur, utere, addita amurca.

Aliud. Alliorum ſelibra, ſulfuris triens, aeris quadrans, axungiæ ſuillæ bilibres offæ, in aceto coctis utere. Euphorbii ſeſcuncia, caſtorii uncia, bdellii ſextans, galbani, opopanacis, ſpumæ argenti, ſingulorum ſextans, bituminis ſelibra, mannæ triens, aridæ reſinæ ſelibra, ammoniaci ſuffimenti ſextans.

Interciſæ linguæ.

Si linguam contingat interſcindi, gallam vino nigro incoctam adhibebis, aut centaurium tunſum illines.

Agglutinatum.

Sæpæ, tragacanthæ, croci, nucis pineæ, chalcitis, ovorum ſufficientes partes miſcebis ad uſum.

HIPPOCRATIS EPISTOLÆ.

PRÆFATIO.

Perantiquæ ſunt, cum ad eam Cato alludat, qua Hippocrates Artaxerxæ auxilium ſuum negat. *Sed multæ ſunt ſuppoſitionis notæ, Abderitas decem talentis* Hippocratem *remuneraſſe ſupra vires eſt ejus civitatis. Somnium indignum videtur gravitate* Hippocratica, *totæque epiſtolæ ſophiſtæ potius alicujus, quam clari* Senis. Crateuas *manifeſto non eſt ejuſdem ævi. Peſtem ab* Hippocrate *ſanatam fuiſſe cum* Thucydidis *narratione vix concilies. Nuſquam denique a* Galeno *citantur.*

EPISTOLA I.

Rex Regum Magnus Artaxerxes, Pæto gaudium.

Morbus peſtilens appellatus, invaſit exercitus noſtros: & quum nos ſæpe multa fecerimus, nihil adhuc remiſit. Quare magnopere, & per omnia tibi a me data dona, te rogo, ut aut aliquid ex natura tua excogitatum, aut aliquam ex arte actionem, aut aliquod alterius viri mederi potentis conſilium, celerrime ad nos mittas. Propulſa, oro, hoc malum. Multa enim anxietas populum corripuit, quæ ſpiritum magnum, ac denſum habet. Non belligeran-

tes debellamur, quum hoſtem habeamus beſtiam illam ovilia devaſtantem. Sauciavit multos: ægre curabiles fecit amara ſpicula immittit. Conſilii inops ſum. Non amplius habeo quod cum viris natura prudentibus conſultem. Solve hæc omnia, neque nos bono tuo conſilio deſtituas. Vale.

EPISTOLA II.

Pætus, Regi Regum Magno Artaxerxæ gaudium.

NAturalia auxilia peſtilentis morbi popularem graſſationem non ſolvunt. Qui enim ex natura fiunt morbi, eos ipſa natura judicans ſanat. Qui vero ex populari graſſatione, eos ars curat, artificioſe judicans corporum mutationem.

Hippocrates autem medicus curat hoc malum. Et genere quidem eſt Dorienſis, ex civitate vero Co, parte Heraclida, qui filius fuit Hippocratis, qui Gnoſidici, qui Nebri, qui Soſtrati, qui Theodori, qui Cleomittadæ, qui Chriſamidis. Hic divina natura præditus eſt, & ex parvis, ac vulgaribus, ad magna ac artificioſa, medicinam evexit. Eſt igitur divinus Hippocrates nonus quidem a Chriſamide rege, decimus autem & octavus ab Æſculapio, vigeſimus vero a Jove; ex matre vero Praxithea Phænaretes filia, ex familia Heraclidarum, Quare ex utroque ſemine a diis ortum habet divinus Hippocrates, ut qui a patre quidem Aſclepiades eſt, a matre vero Heraclides.

Didicit autem artem tum a patre Heraclida, tum ab avo Hippocrate. Verum ab his quidem primum, velut veriſimile eſt, in re medicina initiatus eſt, quantum ſane credibile eſt hos noviſſe. Univerſam vero artem ipſe ſeipſum docuit, divina natura uſus, & in tantum animi induſtria progenitores tranſgreſſus, quantum etiam artis præſtantia eoſdem ſu-

peravit. Tollit autem non beſtiarum genus; ſed ferorum, ac agreſtium morborum, per magnam terræ, ac maris partem Æſculapii auxilia, quemadmodum Triptolemus Cereris, ſemina, diſpergens. Proinde juſtiſſime in multis terræ locis divinos honores etiam ipſe conſequutus eſt, & iiſdem donariis cum Hercule, & Æſculapio ab Athenienſibus dignus factus eſt. Hunc ipſum ipſe accerſe, & auri atque argenti quantum voluerit, ipſi dare jube. Hic enim non unum modum curationis hujus morbi novit. Hic eſt ſanitatis pater, hic ſervator, hic dolorum curator. In ſumma, hic divinæ ſcientiæ princeps eſt. Vale.

EPISTOLA III.

Rex Regum Magnus Artaxerxes, Hyſtanidi Helleſponti Præfecto.

HIppocratis medici Coi ab Æſculapio originem ducentis, gloria artis etiam ad me pervenit. Dato igitur ipſi auri quantum voluerit, & reliqua abunde, quibus opus habet, & ipſum ad nos mittito. Nam optimatibus Perſarum æqualis erit. Et ſi quis alius bonus vir eſt in Europa, cum domus regiæ amicum facito, nihil divitiis parcens. Viros enim invenire, qui conſilio præſtent, non eſt facile. Vale.

EPISTOLA IV.

Hyſtanis Helleſponti Præfectus, Hippocrati ex Aſclepiadis prognato gaudium.

MAgnus rex Artaxerxes te opus habet, & miſit ad nos præfectos, jubens tibi argentum & aurum, & reliqua quibus opus habes, & quæcumque voles, dare, & brevi ad ſe mittere. Fore enim

enim te optimatibus Perſarum æqualem. Tu itaque cito adſis. Vale.

EPISTOLA V.

Hippocrates Medicus Hyſtanidi Helleſponti Præfecto gaudium.

AD epiſtolam quam miſiſti, a Rege veniſſe adſerens, remitte Regi quæ dico, quam celerrime ſcribens: Quod & victu, & veſtitu, & domo, & omni ad vitam ſufficienti opulentia fruimur; Perſarum autem divitiis uti, fas mihi non eſt, neque barbaros homines a morbis liberare, qui hoſtes ſunt Græcorum. Vale.

EPISTOLA VI.

Hippocrates Demetrio ſanitatem.

PErſarum Rex nos accerſivit, ignarus quod apud me major eſt ſapientiæ ratio quam auri. Vale.

EPISTOLA VII.

Regi Regum meo magno domino Artaxerxæ, Hyſtanis Helleſponti Præfectus gaudium

QUam miſiſti epiſtolam, jubens demittere ad Hippocratem Coum ab Æſculapio originem ducentem, demiſi. Sed & ab ipſo reſponſum tuli, quod ſcriptum tradidit, & ad domum tuam tranſmittere juſſit. Itaque ejus latorem ac nuntium Gymnasben Dieutychen ad te miſi. Vale.

EPISTOLA VIII.

Rex Regum Magnus Artaxerxes Cois hæc dicit.

DAte meis nuntiis Hippocratem medicum malignis moribus præditum, & in me, & in

Perſas petulanter ſe gerentem. Sin minus, cognoſcetis, etiam primi peccati pœnam vos daturos eſſe. Urbem enim veſtram devaſtatam, & inſulam diſtractam, in pelagus convertam, ut in poſterum tempus nemo ſciat, an in hoc loco fuerit inſula, aut urbs Cos.

EPISTOLA IX.

Coorum reſponſum.

VIſum eſt populo, reſpondere nuntiis ab Artaxerxe miſſis. Coi nihil indignum facient, neque Merope, neque Hercule, neque Æſculapio. Quapropter omnes cives non dabunt Hippocratem, etiam ſi peſſima morte ſint interituri. Nam quum Darius & Xerxes epiſtolas ſcripſerint, & terram ac aquam a patribus noſtris petiverint, populus non dedit: quum eos ipſos ſe impetentes, ſimiliter velut alios homines, mortales eſſe videret. Et nunc idem reſponſum dat. A Cois diſcedite quoniam Hippocratem in manus veſtras non dant. Renunciate igitur ipſi vos nuncii, quod neque Dei ipſi, noſtri negligentes erunt.

EPISTOLA X.

Senatus populuſque Abderitarum Hippocrati gaudium.

NUnc maxime urbi noſtræ in periculo verſatur vir noſter, o Hippocrates, qui & præſenti tempore & futuro ſemper gloria urbi ſperabatur. Neque nunc, o vos Dei omnes, nobis invideatur. Hic præ multa, qua detinet ipſum, ſapientia ægrotat, ut timor non vulgaris ſit, ſi Democritus mente motus fuerit revera urbem noſtram Abderitarum peſſum ituram eſſe.

Etenim

Etenim oblitus omnium, & primum ſui ipſius, vigilans & noctu & interdiu, & ſingula parva, ac magna deridens, & totam vitam nihil eſſe putans vitam tranſigit. Ducit aliquis uxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum agit; eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur. At hic ridet omnia, dum alios mœſtos ac triſtes, alios gaudentes videt. Quin & de his, quæ apud inferos ſunt, hic vir perſcrutatur, & hæc ſcribit. Et idolis aerem plenum eſſe dicit. Et volucrum voces intentis auribus explorat. Et ſæpe noctu exſurgens, ſolus cantilenas ſenſim canenti ſimilis eſt. Et ſe aliquando in rerum immenſitatem proficiſci dicit, & Democritos eſſe ſimiles ſibi ipſi innumerabiles. Et corpus una cum mente corrumpens vivit.

Hæc timemus, o Hippocrates, ob hæc perturbati ſumus. Quapropter nos ſerva, & patriæ noſtræ conſulturus cito adſis, neque nos contempſeris. Nam neque ita viles ſumus: & in nobis teſtimonium ſitum eſt. Ob ipſum enim conſervatum, & gloriam, & pecunias, & doctrinæ famam conſequeris, quamquam doctrinæ ratio multo potior apud te eſt, quam fortunæ. Attamen & hujus bona multa ac luculenta tibi a nobis obvenient. Etenim animæ Democriti gratia, etiamſi urbs aurum eſſet, non noſtræ voluntati reſponderet, aut quacumque tandem re illi carendum eſſet. Leges noſtras putamus ægrotare, o Hippocrates, leges prævaricari. Adſis, optime vir, curaturus virum inſignem. Non medicus, ſed conditor, ſacratiorem tota Jonia murum nobis circumdabis. Civitatem, non virum curabis, & Senatum ægrotantem, & ne claudatur periclitantem, aperies. Ipſe legislator, ipſe judex, ipſe princeps, ipſe ſervator, & horum artifex advenies. Ob hæc te exſpectamus, o

Hippocrates, atque hæc etiam fient, ubi veneris. Una civitas non ignobilis, imo tota Græcia rogat te, ſerva corpus ſapientiæ. Quin potius ipſam apud te legationem agere puta doctrinam, ab hac prævaricatione liberari ſupplicantem.

Cognata equidem res eſt omnibus, velut apparet, ſapientia. Verum his qui propius ipſam complexi ſunt, velut nobis, etiam longe amplius. Et, ſicut probe noſti, gratificaberis etiam futuro ſeculo, ſi non deſtitueris Democritum propter veritatem, cujus primas ſe laturum eſſe ſperat. Tu enim & genere, & arte conjunctus es Æſculapio. Hic vero Herculis eſt ex fratre nepos. A quo eſt & Abderus, quemadmodum omnino audiviſti, cujus cognomen urbs noſtra refert. Quare etiam illi grâta fuerit Democriti ſanatio. Quum igitur videas, o Hippocrates, & populum, & virum inſignem, ad ſtupiditatem diffluentem, feſtina, rogamus, ad nos. Heu ut etiam bona redundantia morbi exſiſtunt. Quantum enim Democritus ad ſummam ſapientiam generoſe pervenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis ſtupore & ſtoliditate adfligatur. At reliquum vulgus Abderitarum, quod manſit absque eruditione, communem ſane ſenſum habet. Immo nunc prudentiores ſunt ad ſapientis morbum judicandum, qui prius deſipuerunt. Adſis igitur cum Æſculapio patre. Adſis cum Herculis filia Epione. Adſis cum Æſculapii filiis, qui ad Ilium militarunt. Adſis nunc Pæonias adferens morbi medelas. Nunc terra radicibus, & herbis, & auxiliaribus floribus, inſaniæque medicamentis fecunda eſt. Ferme igitur nunquam fertilius producent neque terra, neque montium cacumina, quam nunc proferunt ea, quæ pertinent ad Democriti ſanitatem. Vale.

EPISTOLA XI.

Hippocrates Senatui populoque Abderitarum gaudium.

CIVIS veſter Ameleſſagoras venit in Co, & erat tunc in illa die Virgæ adſumptio, & annua feſtivitas, ac publicus, velut noſtis, conventus, & pompa ſumptuoſa fiebat, quam mos eſt eos, qui deo dicati ſunt, ad Cypariſſum deducere. Quandoquidem autem & ex verbis, & ex adſpectu, Ameleſſagoras feſtinare videbatur, credens, velut erat, rem ipſam urgere; epiſtolam veſtram legi, & admiratus ſum quod ob unum hominem, velut ſi unus homo eſſet ipſa civitas, turbati eſtis.

Et beati profecto ſunt populi, qui ſciunt bonos viros ſua eſſe munimenta, & non turres, neque muros, ſed ſapientium virorum ſapientia conſilia. Ego vero, qui credo artes quidem eſſe Deorum dona, homines autem naturæ opera, (& ne ægre feratis viri Abderitæ), non vos puto, ſed ipſam naturam me vocare, ad conſervandum ipſius opus, quod periclitatur, ne præ morbo collabatur. Quare præ vobis ego nunc, naturæ ac Diis obediens, feſtino ægrotantem Democritum ſanare: ſi quidem ſane & hoc morbus eſt, & non potius error vobis tenebras offundit: id quod opto, atque utinam ſit hoc uberius veſtræ benevolentiæ ſignum, quod etiam ad ſuſpicionem turbamini.

Argentum autem mihi venienti, neque natura, neque Deus promittere poterit. Quare neque vos viri Abderitæ cogatis, ſed liberæ artis etiam opera libera eſſe ſinatis. Qui vero mercedem capiunt, hi ſcientias ſervire cogunt, velut captivas facientes ipſas ex priore libertate. Deinde, velut

veriſimile eſt, mentiri etiam poterint, velut de magno morbo; & negarint, velut de parvo; & polliciti non venerint, & rurſus venerint non vocati.

Miſera eſt profecto humana vita, quoniam per totam ipſam intolerabilis avaritia, velut hibernus ventus, diſtributa eſt ac penetravit. Ad quam utinam potius omnes medici conveniſſent, quo graviorem inſania morbum curarent: quoniam quum morbus ſit, & affligat, etiam laudatur. Ego vero arbitror etiam animæ morbos omnes vehementes eſſe inſanias, quæ opiniones quaſdam ac imaginationes rationi inducunt. A quibus, qui per virtutem depurgatus eſt, ſanus evadit.

Quod ſi ego omnino diteſcere voluiſſem, viri Abderitæ, non utique decem talentorum gratia ad vos proficiſcerer, ſed ad Magnum acceſſiſſem Perſarum Regem, ubi totæ civitates humanis opibus refertæ mihi obtigiſſent, ſanaſſem autem illic ipſorum peſtem. Verum denegavi, inimicam Græciæ regionem a malo morbo me velle liberare. Et ego, quantum in me fuiſſet, Barbaros expugnaſſem. Habuiſſem autem ignominiam ipſas a rege divitias, & opulentiam patriæ inimicam. Hæc vero mihi adfuiſſent, velut ei qui urbium Græciæ devaſtator eſſet. Non ſunt divitiæ, undiquaque lucrari. Magna enim ſunt ſacra virtutis, quæ a juſtitia non occultantur, ſed manifeſta exſiſtunt. Aut non æquale peccatum eſſe putatis, hoſtes ſervare, & amicos mercede ſanare? At non hoc modo ſe res noſtræ habent, o Abderitæ. Non capio fructum ex morbis, neque libenter audivi Democritum mente motum eſſe. Qui ſive ſanus eſt, amicus eſt: ſive ægrotat, curatus magis amicus erit. Audio autem ipſum gravibus ac ſolidis moribus præditum eſſe, & urbis veſtræ ornamentum. Valete.

EPISTOLA XII.

Hippocrates Philopœmeni gaudium.

LEGATI, qui urbis epiſtolam mihi reddiderunt, etiam tuam tradiderunt. Et valde gaviſus ſum, & hoſpitium, & reliquum victum te promittente. Veniemus autem bona fortuna, & meliore ſpe, velut arbitramur, accedemus, prout in litteris eſt declaratum: quum non inſaniam, ſed quamdam excellentem mentis ſanitatem vir ille declaret, dum neque liberorum, neque uxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicujus curam gerit, ſed & diu & noctu apud ſeipſum conſiſtit, & privatim vitam degit, plerumque in antris & ſolitudinibus, aut ſub arborum umbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequentia aquarum fluenta.

Contingunt igitur talia plerumque atra bile percitis. Taciturni enim aliquando ſunt, & ſolitarii, ac deſerti amantes, & rerum familiarium conſpectum averſantur, alienum putantes. Nec vero diſſimile vero eſt, etiam his qui circa diſciplinas verſantur, ab una erga ſapientiam adfectione, alias curas excluſas eſſe. Quemadmodum enim famuli ac ancillæ in domibus tumultuantes, & ſeditionem agentes, ubi derepente ipſis hera comparuit, conſternati conquieſcunt; ſic etiam reliquæ in anima cupiditates malorum ſunt hominibus miniſtræ. Poſtquam autem ſapientiæ conſpectus ſeipſum ingeſſerit, reliquæ adfectiones velut famulæ diſcedunt.

Non autem omnino inſani antra & quietem expetunt, ſed etiam hi qui humana negotia contemnunt, ob tranquillitatis cupiditatem. Cum enim mens ab externis curis vexata, corpus reficere voluerit, tunc cito ipſum quieti tradit

Deinde recta exſurgens, circumcirca veritatis regionem colluſtrat, in qua non eſt pater, non mater, non uxor, non liberi, non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omnino quidquam ex his, quæ tumultum inducunt. Omnia autem perturbantia, excluſa ſtant præ timore: & neque appropinquare audent præ reverentia eorum, quæ iſthic habitant.

Habitant autem illam regionem, & artes, & virtutes omnis generis, & Dei, & dæmones, & ſenatus, & conſilia. Et magnus polus in illa regione ſtellis multum mobilibus coronatus eſt: in quam fortaſſis etiam Democritus præ ſapientia tranſmigravit. Deinde quum non videat amplius eos qui ſunt in urbe, utpote procul profectus, inſaniæ morbo laborare putatur, propter ſolitudinis amorem. Student autem Abderitæ argenti amorem & ſtudium detegere, & in ſe manifeſtum facere, eo quod Democritum non intelligunt. At tu hoſpitium nobis, o amice Philopœmen, præpara. Non enim volo perturbatæ urbi moleſtiam exhibere, quum veterem te proprium hoſpitem, veluti noſti, habeam. Vale.

EPISTOLA XIII.

Hippocrates Dionyſio gaudium.

AUT in Halicarnaſſo me exſpecta, aut ipſe ad me venire, o amice, feſtina. Per ſummam enim neceſſitatem abeundum eſt mihi in Abderam, Democriti cauſſa, ad quem ægrotantem urbs me accerſivit. Cæterum admiranda eſt hominum, o Dionyſi, per conſenſum affectio: velut una anima cum cive coægrotant. Quare mihi videntur etiam ipſi curatione opus habere.

Ego vero neque morbum ipſum eſſe puto, ſec. immodicam doctrinam: quæ revera non eſt immodica, ſed ab idiotis putatur. Nam nunquam nociva eſt virtus immodica. Excellentia verc morbi opinionem de ſe præbet, propter judicantium imperitiam. Unusquisque enim ex his, quæ ipſe non habet, judicat id, quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe. Sic ſane etiam timidus fortitudinem immodeſtiam putat, & avarus magnanimitatem. Et omnis defectus, virtutis moderationem excedere putatur. Illum igitur ubi viderimus, cum prænotione hinc contingente, & ub ſermones ejus audiverimus, melius cognoſcemus

Tu vero, o Dionyſi, ſtudio habe ut ipſe accedas. Volo enim te in patria mea commorar. donec rediero: quo & rerum noſtrarum, & imprimis urbis noſtræ curam geras. Nam haud ſcio quomodo ex caſu contigit, ut ſaluber ſit annus, & priſtinam naturam habeat. Quare neque multi infeſtabunt morbi: attamen venito. Inhabitabis autem meam domum nimis quam opportunam, nimirum quum & uxor apud parentes maneat, propter meam profectionem.

Attamen & illius res inſpecta, quo pudice degat, & non ob viri abſentiam, alios viros approbet. Honeſta equidem ab initio fuit, & parentes bonos habuit. Patrem autem mirifice virilem, & malos valde odio habentem, egregie ſenem. Attamen ſemper opus habet mulier moderatore. Habet enim a natura in ſe laſciviam, quæ, niſi quotidie reſecetur, velut arbores in materiæ multæ effuſionem exuberat. Ego vero amicum parentibus diligentiorem puto ad uxorem cuſtodiendam. Non enim, velut illis, etiam huic cohabitat benevolentiæ adfectio, per quam ſæp umbra admonitioni obtenditur. In omnibus au-

tem rebus prudentior eſt alienitas ab adfectione; ut quæ minime a benevolentia infringatur. Vale.

EPISTOLA XIV.

Hippocrates Damageto gaudium.

Cum apud te Rhodi eſſem, Damagete, vidi navem illam, cui Solis inſcriptio erat, penitus pulchram, & in puppi probe inſtructam, & ſufficientem carinam habentem. Habebat & tranſtra multa. Et tu laudabas etiam in ipſa navigandi præſtantiam, quod velox eſſet, & tuta, & ad inſerviendum artificioſa. Et inſuper prædicabas probum in ipſa navigationis curſum. Hanc mitte nobis, verum, ſi fieri poteſt, non remis, ſed alis ad remigium inſtructam. Urget enim res ipſa, o amice, ut valde cito in Abderam navigem. Volo enim ægrotantem curare urbem, propter unum ægrotantem Democritum, ſi unquam viri fama ad aures tuas pervenit. De hoc patria dicit, inſania adfligi. Ego autem cupio, immo magis opto, non revera ipſum inſanire, ſed illos ita putare.

Ridet, inquiunt, ſemper, & ridere non ceſſat in omnibus negotiis. Et hoc ipſis inſaniæ ſignum eſſe videtur. Quare tuis in Rhodo amicis dicito, ut ſemper moderate ſe gerant, & non multum rideant, neque multum triſtes ſint, ſed inter ambo hæc modum teneant, ut aliis comis eſſe videaris, aliis ſollicitus, de virtute cogitans. Eſt profecto mali quiddam, dum ad ſingula ille ridet. Si enim immodeſtia malum eſt, ea ſane perpetua longe pejor eſt. Et dicam ſane ad ipſum: Democrite, & ſi quis ægrotat, & occiditur, & mortuus eſt, & obſidetur, & quodvis malum ingruit: ſingula quæ fiunt, materiam riſus tibi præbeant.

Non autem repugnas Deo, ſi, quum duo ſint in mundo, Gaudium & Triſtitia, tu alterum ipſorum ejeciſti? Beatus profecto fueris, (verum impoſſibile eſt), ſi neque mater tibi ægrotat, neque pater, neque poſtea liberi, aut uxor, aut amicus, ſed propter tuum riſum conſervantur, penitus felix es. At ſi, dum ægrotant, rides; dum moriuntur, gaudes; & ſi quid mali audieris, exhilararis; peſſimus es, o Democrite, & procul ſane a ſapientia. Si vero putas hæc ipſa neque mala eſſe, certe atra bile percitus es Democrite, periclitans ne & ipſe Abderita ſis: prudentior autem ſit ipſa civitas. Cæterum de his exactius illic dicemus, Damagete. At vero navis etiam hoc tempus, quo hæc tibi ſcribo, remoratur. Vale.

EPISTOLA XV.

Hippocrates Philopœmeni gaudium.

COGITANS ac ſollicitus de Democrito, illa ipſa nocte dormiens, ſub ipſius auroræ initium, ſomnium mihi oblatum habui, ex quo puto nihil valde periculoſi fore. Mirabiliter enim expergefactus ſum. Videbar mihi videre Æſculapium ipſum coram, & jam ad ipſas Abderitarum portas aderamus. Æſculapius autem non ut imagines eum alias oſtendunt, mitis ac blandus apparebat, ſed habitu concitato, & adſpectu horrendo. Sequebantur autem ipſum dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile quiddam velut in deſertis ac ſaltibus ſubſibilantes. Sequebantur & ſocii, pyxides medicamentarias probe obſignatas geſtantes. Deinde porrexit mihi manum Deus: quam ubi libentiſſime apprehendiſſem, rogabam ut ſimul

mecum pergeret, & ne me in medendo deſtitueret. Verum is: Nihil, inquit, in præſens me opus habes; ſed hæc immortalium ac mortalium communis Dea te peregrinum deducet.

Et ego converſus video mulierem pulchram ac magnam, ſimpliciter ornatam, ſplendidam, cujus oculorum circuli puro lumine micabant, ut ſtellarum fulgorem putares. Et Deus quidem diſparuit. Mulier vero illa adprehenſum me manu, lento gradu benigniter per urbem ducebat. Et ubi prope domum eſſemus, in qua hoſpitium mihi paratum eſſe putabam, velut ſpectrum diſparuit, hoc ſaltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cum vero jam ſe illa converteret: Rogo, inquam, optima femina, quænam es, & quo nomine vocari debes? Veritas, inquit illa. Cæterum quam accedentem vides (& derepente altera quædam mihi apparuit) neque ipſa mala videtur, audacior autem adſpectu & concitatior: Opinio, inquit, appellatur, & habitat apud Abderitas. Ego igitur ubi de ſomno ſurrexiſſem, mihi ipſi ſomnium interpretatus ſum, quod non indigeret medico Democritus, quando ſane ipſe medendi Deus diſceſſiſſet, velut qui medendi occaſionem & materiam non haberet. Sed ipſa quidem veritas, quod Democritus ſanus ſit, apud Democritum manet. Opinio vero, quod Democritus ægrotet, revera apud Abderitas habitat. Atque hæc vera eſſe, mi Philopœmen, credo, & ſunt ſane. Et non contemno ſomnia, maxime ubi etiam ordinem conſervant.

Medicina autem & vaticinatio valde cognatæ ſunt, quandoquidem & pater ambarum artium unus eſt Apollo progenitor noſter, & præſentes & futuros morbos prædicens, & ægrotos & ægrotaturos ſanans. Vale.

EPITOLA XVI.

Hippo ,rates Crateuæ gaudium.

SCio te, o amice, optimum rhizotomorum eſſe, & propter tuam ipſius exercitationem, & propter progenitorum gloriam, adeo ut in hac facultate, Crateuæ proavo minime cedas. Proinde nunc ſi unquam alias, herbas collige, quot & quales poteris: urget enim neceſſitas: atque has mihi tranſmitte, ad virum toti civitati comparandum, Abderitam quidem, verum Democritum. Ægrotare enim ipſum dicunt, & purgatione valde opus habere, ut qui inſania ſit correptus. Non utemur fortaſſis medicamentis, quemadmodum etiam credo. Attamen undiquaque inſtructum eſſe oportet. At vero rem herbariam apud te ſæpe admiratus ſum, quemadmodum etiam univerſorum naturam ac conſtitutionem & ſacerrimum terræ fundamentum, ex qua animalia, & plantæ, & alimenta, & medicamenta, & fortuna, & ipſæ divititæ exoriuntur. Neque enim alias haberet ubi conſiſteret Avaritia, neque ſane Abderitæ nunc decem talentis ineſcaſſent me, pro medico mercenarium declarantes.

Si vero poſſis Crateva amaram avaritiæ radicem exſcindere, ut nullæ ipſius reliquiæ reſtent; probe ſcito, quod hominum una cum corporibus etiam animas ægrotantes purgaſſemus. At hæc quidem vota ſunt.

Tu vero, quod fieri poteſt, nobis montanas maxime & in altis collibus naſcentis herbas radicimis reſeca. Sunt enim aquoſioribus ſolidiores & acriores, propter terræ denſitatem, & aeris tenuitatem. Nam quod attrahunt, frigidius eſt. Conare tamen, ut etiam de his quæ circa ſtagnaſcuntur, & de paluſtribus, & fluviatilibus,

aut fontanis flores colligas: quas ſane debiles, & exſolutas, ac dulcis ſucci eſſe ſcio. Omnia autem medicamenta, quæ ſucci & liquores fluidi ſunt, in vitreis vaſis ferantur; quæ vero folia, aut flores aut radices ſunt, in fictilibus novis probe obturatis, ne ventis perflata, medicamenti vigorem, velut in animi deliquium collapſa, amittant. Cæterum ſtatim nobis hæc mittito. Nam & tempus anni congruum eſt, & neceſſitas dictæ inſaniæ urget. Ab omni equidem arte aliena res eſt dilatio, verum maxime a Medicina, in qua dilatio eſt animæ periculum.

Curationum vero animæ ſunt temporum opportunitates, quarum obſervatio finis eſt. Spero quidem ſanum eſſe Democritum, etiam citra medelam. Si vero aliquis error naturæ, aut temporis, aut alterius alicujus cauſſæ contingat: multa enim nos, qui mortales ſumus, latent, utpote non omnino per veritatem corroboratos: ad id quod obſcurum eſt, omnem vim congregatam eſſe oportet. Non enim contentus eſt is, qui in periculo verſatur, his quæ poſſumus, ſed concupiſcit etiam ea, quæ non poſſumus.

Et ferme ſemper ad duos fines militamus, alterum hominis, alterum artis. Quorum alter obſcurus eſt, alter ſcientiæ determinatus. Opus eſt autem in utriſque his etiam fortuna. Incerta enim eſt conjectura eorum, qui in purgationibus caute procedunt. Nam & ſtomachi adflictionem veremur, & medicationis congruentiam ad naturam ignotam conjectamus. Non enim una & eadem eſt omnium natura, & aliud ſemper ſibi ipſi decernens adſimilat ac familiare facit. Aliquando vero totum perdit. Sed & herbis multa reptilia venenum immittunt, & hiatu ſuo internæ ipſarum teneritudini adflictionem pro auxilio inſpirant. Et

hujus rei ignorantia erit, niſi ſane nota aliqua, aut macula, aut odor ferus & gravis, rei factæ indicationem fecerit. Deinde ipſa ars, propter fortunæ caſum, a recte faciendi propoſito aberrat. Stabiliores autem ſemper ſunt purgationes per veratrum, quibus etiam Melampus in Prœti filiabus, & Anticyreus in Hercule uſi eſſe narrantur. Minime vero utemur nos ullo aliquo ex his in Democrito: ſed contigerit, opto, illi ſapientia, efficaciſſimorum ac medicatiſſimorum pharmacorum finis. Vale.

EPISTOLA XVII.

Hippocrates Damageto gaudium.

HOC erat illud, Damagete, quod conjectabamus: non inſanit Democritus, ſed ſuper omnia ſapit, & nos ſapientiores effecit, & per nos omnes homines. Remiſi autem tibi, amice, revera Æſculapeam navem: cui cum ſolis ſigno etiam ſanitatis inſigne adponito. Nam revera ſecundo numine vela fecit: & illa die in Abderam navigavit, qua ſcripſeram ipſis, me perventurum eſſe. Omnes igitur ante portas congregatos invenimus, nos, velut veriſimile eſt, exſpectantes, non viros ſolum, ſed etiam mulieres, inſuperque ſenes & pueros, per deos, triſtes, itemque infantes. Atque hi quidem ſic habebant, velut ob Democritum inſanientem. Ille vero ſincere tunc in philoſophando excellebat. Poſtquam autem me vidiſſent, viſi ſunt mihi paullulum ad ſeipſos rediiſſe & bonas ſpes oſtentabant. At Philopœmen me ad hoſpitium ducere geſtiebat, & hoc ab illis comprobabatur. Ego vero: O viri Abderitæ, inquam nullum mihi majus operæ pretium eſt, quam Democritum videre. Illi vero hoc audito, collauda-

runt, & gaviſi ſunt, & compendio duxerunt me per forum, partim ſequentes, partim præcurrentes, alii ab utraque parte: Serva, clamantes, auxiliares, medicare. Et ego adhortabar ipſos ut confiderent, tanquam fortaſſis nihil eſſet mali, aut, ſi quid eſſet, modicum id eſſet, & correctu facile confiſus horis anni Eteſiis. Et ſimul hæc dicens ibam. Neque enim procul erant ædes: immo neque tota civitas. Aderamus igitur: propinquæ enim muro erant, & me placide eo deducunt. At retro turrim collis erat altus, longis ac denſis populis nigris umbroſus, unde Democriti habitacula conſpiciebantur.

Et ipſe Democritus ſub ampla, ac humillima platano ſedebat, in veſte craſſa citra humeros deſinente, ſolus, diſcalceatus, ſuper lapidea ſede, valde pallidus ac macilentus, promiſſa barba. Juxta ipſum vero a dextra tenuis aqua per declivem collem decurrens leniter reſonabat. Erat autem delubrum quoddam ſuper illum collem, quantum equidem conjectura adſequor, Nymphis dicatum, ſponte enatis vitibus circumdatum. Ipſe vero cum multo ornatu ſuper genibus librum habebat. Sed & alii quidam ex utraque parte adjacebant. Accumulata erant etiam animalia multa per totum reſecta. Et ipſe aliquando concitate incumbens ſcribebat, aliquando quieſcebat, diu multumque ſe continens, & in ſeipſo meditans. Deinde non longe poſt, his peractis, exſurgens deambulabat, & viſcera animalium inſpiciebat, & depoſitis ipſis digreſſus, rurſus deſidebat.

At Abderitæ circumſtantes me triſtes, & non procul a lachrymantibus oculos habentes. Vides, inquiunt, Hippocrates, Democriti vitam, quam inſanit, & neque quod vult novit, neque quod facit. Et quidam ex ipſis adhuc am-

plius oſtendere volens ipſius inſaniam, alta voce ploravit inſtar mulieris ob filii mortem lamentantis. Deinde rurſus cum gemitu ejulavit, perſonam agens viatoris, qui aliquid ex his, quæ portabat, amiſit. Verum Democritus cum hæc audiſſet, partim ridebat, partim cachinnis explodebat, & nihil amplius ſcribebat. Caput autem frequenter concutiebat. Ego vero: Vos, inquam, o Abderitæ, hic manete; ipſe vero ubi & verbis, & corporis viri propior factus fuero, videroque ac audiero, cognoſcam adfectionis veritatem.

Et hæc loquutus, placide deſcendebam. Erat autem locus ille aſper ac declivis. Itaque vix me ſuffulciens penetravi. Cum autem appropinquaſſem incidi in ipſum neſcio quid, quaſi ex numinis adflatu & cum concitatione ſcribentem. Stabam igitur iſthic exſpectans tempus quietis ipſius. Ipſe vero paullo poſt, intermiſſo ſcribendi impetu, & ſtilo ſcriptorio depoſito, reſpexit ad me accedentem, & ſalve, inquit, hoſpes. Et ego: Plurimum & tu, inquam, Democrite vir ſapientiſſime. At ille, verecundans arbitror quod non nomine me compellaſſet: Te autem, inquit, quo nomine vocabimus? Ignorantia enim tui nominis, cauſſa erat cur te hoſpitem appellarem. Hippocrates, inquam, medicus eſt mihi nomen. Is vero: Aſclepiadarum, inquit, nobilitas & magna ſapientiæ tuæ in re medica gloria multum celebris etiam ad nos pervenit. Quid autem negotii, o amice, te huc perduxit? Immo potius præ omnibus conſide. Vides autem quod hæc ſedes foliis inſtrata non eſt injucunda, viridis adhuc ac mollis, & ad inſidendum lenior invidioſis fortunæ ſellis.

Cum autem conſediſſem, rurſus inquit. Privatumne, aut publicum negotium agens huc perveniſti? Dic aperte; nam nos, quantum poteri-

mus, adjuvabimus. Et ego: Quæ vera cauſa eſt, inquam, tui gratia huc venio, ut ſapientem virum conveniam. Habet autem cauſam patria, cujus legatum ago. Ille vero: Hoſpitio itaque, inquit, primum utere noſtro. Ego vero per omnia virum pertentans, etiamſi jam mihi manifeſtum eſſet, ipſum non inſanire; Philopœmenem, inquam, noſti civem veſtrum? Etiam inquit, valde: Damonis filium dicis, qui habitat apud Hermaidem fontem? Hunc ipſum, inquam, cujus ego ſum ex patribus peculiaris amicus. At tu, Democrite, potiore me hoſpitio excipe, & primum ſane quid ſit hoc, quod hic ſcribis, dicito. Ille vero ubi paullulum ſe continuiſſet: De inſania, inquit. Et ego: O rex Jupiter, inquam opportune profecto ſcribis contra civitatem. At ille: Qualem, inquit, civitatem, Hippocrates? Ego vero: Nihil, inquam o Democrite, ſed haud ſcio quomodo hoc verbum mihi excidit. Verum quid de inſania ſcribis? Quid enim, inquit, aliud quam quid ſit, & quomodo in hominibus generetur & quomodo adlevetur. Nam animalia hæc, quæ vides, inquit, hujus gratia reſeco, non quod odio habeam opera Dei, ſed bilis naturam, ac ſedem quærens.

Noſti enim, quod hæc furoris hominum cauſſa eſt, ubi nimium redundarit. In omnibus equidem a natura ineſt, ſed in quibuſdam minus, in quibuſdam amplius. At immodeſtia ipſius morbi ſunt, ipſa velut materia aliquando bona, aliquando mala ſubjacente. Et ego, per Jovem, inquam, o Democrite, vere hæc & ſapienter dicis.

Quare beatum te judico, qui tanta quiete frueris. Nobis autem hujus participes eſſe non permiſſum eſt. Interrogante vero illo: Cur, o Hippocrates, permiſſum non eſt? Quoniam, inquam, aut

aut agri, aut res domeſticæ, aut liberi, aut uſuræ, aut morbi, aut mortes, aut famuli, aut nuptiæ, aut ejuſmodi quædam, opportunitatem nobis commodam eripiunt. Hic ſane vir ille ad ſolitam adfectionem delatus eſt, & valde effuſe riſit, ac cachinnatus eſt. Et de cætero quieſcebat. Et ego: Quid vero, inquam, Democrite rides? utrum bona quæ dixi, aut mala? Ille vero adhuc magis ridebat. Et Abderitæ de colle id videntes, partim capita ſua cædebant, partim frontem. Alii vero capillos evellebant. Nam, velut poſtea dixerunt, ampliorem, quam alias ſolitus eſſet, riſum effunderat.

At vero, inquam, ſapientum optime Democrite cupio cauſam hujus tuæ adfectionis cognoſcere: quo riſu ego tibi dignus viſus ſum, aut ea, quæ dixi: quo cognito, a cauſa deſiſtam, aut tu reprehenſus, intempeſtivos riſus coerceas. Ille vero: O Hercules, inquit, ſi me reprehendere potes, curationem perficies, qualem nullam unquam, o Hippocrates. Et quomodo non reprehendaris, o optime? Aut non abſurdum te eſſe putas, dum rides hominis mortem, aut morbum aut mentis emotionem, aut inſaniam, aut atram bilem, aut cædem, aut aliud quid pejus? Aut vice verſa nuptias, aut feſtivitates, aut liberorum procreationem, aut myſteria, aut magiſtratus, aut honores, aut aliud quid omnino boni? Nam quorum miſereri oportet, ea tu derides, & ob quæ lætari conveniebat, ea itidem derides, adeo ut neque bonum, neque malum apud te ſit diſcretum. At ille: Hæc quidem, inquit, recte dicis, o Hippocrates; ſed non noviſti riſus noſtri cauſſam. Ubi vero cognoveris, ſatis ſcio, quod meum riſum, meliorem legatione medelam ac curationem, tuæ patriæ & tibi ipſi auferes, & alios pru-

dentes facere poteris. Et pro hoc fortaſſis me viciſſim medicinam docebis, ubi cognoveris quanto ſtudio circa res nullo ſtudio dignas verſantes, & ea quæ nullius pretii ſunt facere conantes, omnes homines vitam conſumunt, riſu digna tractantes. Ego vero, dic, inquam, per deos, numquid univerſus mundus ægrotare ſe non animadvertit? & non habet quo legationem demittat ad ſui curationem? Quid enim extra ipſum eſſe poterit? Ille vero excipiens: Multæ, inquit, ſunt mundorum infinitates, & nequaquam, o amice, divitem naturam maligne extenues. At hæc quidem, inquam, Democrite, ſuo tempore docebis. Vereor enim ne forte, dum infinitatem recenſes, ridere incipias. Scias autem nunc de tuo riſu rationem vitæ te reddere debere.

Ille autem torve me intuitus: Duas, inquit, riſus mei cauſſas eſſe putas, bona & mala. Ego autem unum hominem rideo, dementia quidem plenum, rectis autem actionibus vacuum, in omnibus conſiliis pueriliter, ac ſtulte ſe gerentem, & nullius utilitatis gratia labores nunquam abſolvendos tolerantem, fines terræ & infinitos receſſus ex immodicis cupiditatibus penetrantem, argentum & aurum quærentem, & nunquam ab his adquirendis interquieſcentem, ſed ſemper circa plura adipiſcenda tumultuantem, quo ipſe inferior non ſit, & neque pudeſiat, ſi non felix appelletur. Rideo item ipſum eo quod hiatum terræ effodit, manibus eorum perquirens, qui partim a laxa irruente terra oppreſſi ſunt, partim diutiſſime in hac neceſſitate detenti, in ſupplicio velut in patria permanent, argentum & aurum inquirentes, veſtigia pulveris ac ramenta perſcrutantes, arenam aliam aliunde eruentes, & terræ venas exſcindentes, ad opulentiam ſemper glebas

conflantes, ex matre terra hoſtilem terram, quum tamen eadem ſit, facientes & hanc admirantes pedibus calcant. Quanto vero riſu dignum eſt, quod ærumnoſam & occultam terram amant, manifeſtam contumelia afficientes? Alii vero canes emunt, alii equos: alii multam regionem circumſcribentes, propriam ſibi inſcribunt: & multis imperare volentes, neque ſibi ipſis imperare poſſunt. Uxores ducunt, quas paullo poſt ejiciunt. Amant, deinde odio habent. Cum magna cupiditate liberos generant, deinde adultos ejiciunt. Quæ eſt illa vana, ac abſurda diligentia, nihil ab inſania differens? Bellum inteſtinum gerunt, quietem non amplectentes. Reges alios deponunt, alios ſurrogant: occidunt homines: terram fodientes, argentum quærunt. Argento reperto, terram emere volunt. Empta terra, fructus vendunt: fructibus divenditis, rurſus argentum accipiunt. In quot mutationibus verſantur? in quanta malitia? dum opes non habent, opes expetunt: dum habent, occultant, diſſipant. Rideo, dum improbe agentes video. Intendo riſum, dum infeliciter agentes cerno. Veritatis enim leges tranſgrediuntur contentionis ſtudio hoſtilem inter ſe litem habent, & cum fratribus, & parentibus, & civibus: atque ad hæc pro ejuſmodi opibus, quarum nemo, ubi mortuus eſt, dominus eſt, ſe mutuo occidunt vitam illicitam degentes, amicorum ac patriæ penuriam contemnunt. Res indignas & inanimatas divitiarum loco habent: pro univerſa opulentia ſtatuas emunt, quoniam effigies ita expreſſa eſt, ut loqui videatur. Eos vero qui vere loquuntur, odio habent. Res inſuper non faciles expetunt. Nam continentem habitantes, mare cupiunt, Et rurſus, cum in inſulis ſunt, continentem deſiderant, & omnia pervertunt ad propriam cupidita-

T 2

tem. Et in bello quidem fortitudinem laudare videntur. Vincuntur autem quotidie a petulantia, ab avaritia. Ex omnibus adfectionibus ægrotant Therſitæ vero vitæ omnes ſunt. Cur vero meum riſum reprehendiſti, o Hippocrates? Non enim quiſpiam ſuam ipſius dementiam, ſed alius alterius deridet; hi quidem ebrios, cum ipſi ſibi ſobrii eſſe videntur; alii vero amantes, quum ipſi graviore morbo laborent: alii navigantes, alii eos, qui circa agriculturam occupati ſunt. Non enim concordant neque artibus, neque operibus.

Ego vero, hæc quidem, inquam, vera ſunt, Democrite; neque alius aliquis convenienter ſermo eſſe poterit ad mortalium miſeriam declarandam, verum ipſæ res ſanciunt neceſſitatem, & domeſticæ diſpenſationis, & navium fabricationis gratia, reliquæ item vitæ, in qua neceſſe eſt hominem eſſe. Non enim ad otium natura ipſum genuit. Ex his autem rurſus ambitio effuſa, multorum recte ſentientem animam decepit, qui omnia quidem recte ac ſerio agere ſtudent, velut re certa, ac ſtabili futura. Non autem ita validi ſunt ut obſcuritatem prævidere poſſint. Si enim quis o Democrite, uxorem ducens, ſeparationem aut mortem timeret; aut quiſpiam liberos educans, ipſorum interitum: imo neque in agricultura, & navigatione, & regno, & magiſtratu, & omnibus quæ ſunt in vita, ullus unquam de errore præſumpſit: ſed unuſquiſque horum bona ſpe alitur, deteriorum vero ne meminit quidem: numquid igitur riſus tuus his minime convenit?

At Democritus: Valde, inquit tardo ingenio præditus es, & longe a ſententia mea abes, o Hippocrates, qui tranquillitatis & perturbationis modum non conſideras, præ ignorantia. Si enim hæc ipſa prudenti mente diſponerent; & ipſi ſa-

cile liberarentur, & meum riſum levarent. Nunc autem, velut rebus in vita firmis, dementes illi ſuperbiunt, ob ratiocinationis expertem mentem, inordinatum impetum ſuum ægre diſcentes. Sufficiens enim admonitio ipſis eſſet omnium rerum viciſſitudo, quæ ſubitis mutationibus irruit, & derepente omnigenam circumrotationem inducit. At ipſi, velut hæc fortuna ſit ac ſtabilis, obliti adfectionum aſſidue incidentium, aliter alias ea, quæ triſtitiam inferunt, cupientes, & quæ non conferunt, quærentes, multis calamitatibus involvuntur. Si vero quis juxta propriam facultatem omnia facere cogitaret, ſtabilem ſane vitam cuſtodiret, ſeipſum cognoſcens, & ſui ipſius comparationem clare conſiderans, & non cupiditatis ſtudium in infinitum extendens, ſed opulentam naturam, & omnium nutricem per ſufficientiam intuens. Quemadmodum autem in optimo corporis habitu, adfectionum periculum manifeſtum eſt; ita ſucceſſuum fortunæ magnitudo periculoſa eſt. Inſignes autem palam in infelicitatibus conſpiciuntur. Alii vero velut proximorum facta non videntes, a propriis malefactis pereunt, tam manifeſta, quam obſcura non prævidentes, quum longam vitam exemplum habeant eorum, quæ fiunt, & quæ non ſunt, ex quibus etiam futurum conſiderare oportebat.

Hæc ſunt, quæ mihi riſus materiam præbent: o dementes homines, pravitatis pœnas pendentes, avaritiæ, inſatiabilitatis, inimicitiæ, inſidiarum, doli, invidentiæ (difficile eſt enumerare multiplices malorum verſutias, ſunt enim infinitæ) & in his doloroſis verſutiis viciſſim converſantes, & maligne ſentientes.

At virtutis apud ipſos modus eſt, id quod deterius eſt. Mendacii enim ſtudium exercent,

voluptatem conſectantur, legibus non obedientes. Quidam vero ex ipſis providentiam in hominibus eſſe negat, ut qui neque viſus, neque auditur participes ſunt. Solus autem ſenſus hominis recta intelligentia lucidus, & præſens & futurum prævidet. In omnibus diſplicentiam habent, & rurſus ad eadem accedunt, abnegata navigatione navigant, rejecta agricultura, rurſus agrum colunt, ejecta uxore, aliam inducunt, genitos ſibi liberos ſepeliunt, & his ſepultis, alios generant, ac rurſus educant. Senectam optant, ad ipſam autem pervenientes, gemunt, in nullo rerum ſtatu conſtantem mentem habentes. Principes, ac Reges privatum prædicant, privatus autem regnum appetit. Qui reipublicæ magiſtratum gerit, artificem laudat, velut extra periculum conſtitutum; artifex autem illum, velut per omnia potentem. Rectam enim virtutis viam, puram & levem ac inoffenſam non vident, quam nemo ingredi audet. Feruntur autem in contrariam, difficilem & tortuoſam, per aſpera incedentes, lapſantes ac offendentes; plerique vero excidentes, anhelantes velut ſi qui perſequatur, litigantes, modo poſteriores exſiſtentes, modo præcedentes. Et quidam ipſorum petulanti alieni cubilis corrumpendi amore ardent, per impudentiam inducti; alios avaritiæ morbus infinitus conſumit; alii mutuo inſidias ſtruunt; alii ab ambitionis ſtudio in aerem ſublati, per malitiæ gravitatem in profundum perniciei præcipites deferuntur. Quidam deſtruunt, deinde rurſus ædificant: largiuntur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ jura tollunt, malefici per inimicitiam, cognationis jura bello impetentes. Et horum omnium cauſſa eſt Avaritia. Qua in re hi a pueris ludentibus differunt? apud quos conſilium qui-

dem judicio caret; quod vero ſe forte fortuna obtulit, id jucundum eſt.

At vero in deſideriis quid brutis animantibus reliqui faciunt, quam quod intra ſufficientiam feræ ipſæ ſe continent? Quis enim leo aurum in terram occuluit? Quis taurus uberioris alimenti gratia depugnavit? Quam pardalim unquam inſatiabilitas cœpit? Sitit quidem aper, ſed usque ad aquæ appetentiam. Lupus autem, devorato neceſſario alimento oblato, quieſcit. Si dies ac noctes conjungat homo, non ſentit convivandi ſatietatem. Et annuorum quidem temporum ordo terminus eſt brutis ad coitum; at homo perpetuo inſano libidinis œſtro ſtimulatur.

Quæſo te, Hippocrates, non ridere debeo plorantem propter amorem, eo quod commodo ſuo excluſus eſt? maxime vero ſi quis periculorum contemptor ſit, & per præcipitia, aut pelagi profunditates feratur, riſum non extendam? Non ridebo autem eum, qui navem multis mercibus onuſtam demerſit, deinde mari indignatur, quod ipſam plenam ſubmerſit? Ego quidem nequaquam mihi ridere videor. Vellem autem potius aliquid moleſti contra ipſos excogitare.

At neque medicinam pro his eſſe oportebat, neque aliquem pæonia pharmaca præparantem. Atque hujus rei documentum præbeat tibi tuus ille progenitor Æſculapius, qui dum ſervaret homines, fulminis ictus gratiam accepit. Non vides quod & ego malitiei pars ſum, dum inſaniæ cauſſam inquirens, animalia macto, ac reſeco? Oportebat autem ex hominibus cauſſam perſcrutari. Non vides quod etiam ipſe mundus odio in homines plenus eſt? Infinitas enim contra ipſum adflictiones accumulavit.

Totus homo ex nativitate morbus eſt. Dum educatur, inutilis eſt, & alienum auxilium implorat. Dum creſcit, protervus, inſipiens, pædagogo opus habens. Dum in vigore eſt, audax eſt. Dum decreſcit, miſerabilis, ubi labores ſuos imprudenter recolit ac jactat. Ex maternis enim uteri inquinamentis talis prodiit. Et propterea alii indignatione, ac immodica ira pleni, in calamitatibus, ac pugnis verſantur; alii ſemper in adulteriis & corrumpendis puellis; alii in rerum alienarum cupiditatibus; alii in ſuis prodigendis. Utinam facultas eſſet nobis, univerſorum habitationes revelare, & nullum rerum in ipſis velamentum dimittere, atque ita ea, quæ intus aguntur, videre: videremus utique alios edentes, alios vomentes, alios ſuppliciis torquentes, alios pharmaca miſcentes, alios inſidias conſtruentes, alios ſupputantes, alios gaudentes, alios plorantes, alios amicos accuſantes, alios propter ambitionem amentes. Quamquam ſint quædam actiones profundiores, quæ in animo occultantur. Et ex his quidam ſunt juvenes, quidam ſenes: petentes, negantes, pauperes, opulenti: fame preſſi, luxu gravati: ſordidi, vincti; alii delitiis diffluentes, famulitium magnum alentes; alii trucidantes; alii ea quæ habent contemnentes, & ſperatis poſſeſſionibus inhiantes; alii impudentes; alii parci; alii inexplebiles; alii occidentes; alii vapulantes; alii ſuperbientes; alii vana gloria elati. Ex his aliqui apud equos ſpectatores conſiſtunt; aliqui apud viros, aut canes, aut lapides, aut ligna, aut æs, aut picturas. Et aliqui legationibus, aliqui militiæ, aliqui ſacerdotiis præſunt. Et alii coronas geſtant, aliqui armati ſunt, aliqui occiduntur.

Singuli vero ex his feruntur partim ad pugnam navalem, partim ad militiam, partim ad ruſticationem: alii ad onerarias naves, alii ad forum, alii ad concionem, alii ad theatrum, alii ad fugam, alii alio. Et rurſus quidam ad voluptatem, delitiasque, ac intemperantiam; quidam ad otium, ac ſocordiam. Quum igitur tot indignas, ac infelices animas videamus, quomodo non vitam ipſarum ejusmodi intemperantia præditam riſu exſibilaverimus?

Quin & valde timeo, neque medicinam tuam ipſis placere. Nam præ intemperantia omnia ipſis diſplicent, & inſaniam ſapientiam putant. Profecto ſuſpicor pleraque in ſcientia tua palam contumelia adfici, aut propter invidiam, aut propter ingratitudinem. Ægrotantes enim ſimul ut ſervantur, cauſſam diis, aut fortunæ adtribuunt. Plerique vero ſuæ naturæ hoc adſcribentes, benefactorem odio habent, & parum abeſt ut indigne ferant, ſi debitores eſſe putentur. Sed & plerique artis ignorantiam in ſeipſis habentes, & imperiti exiſtentes, id quod melius eſt, purgant. Inter ſtupidos enim fiunt ſuffragia, & neque ægroti atteſtari volunt, neque ejusdem artis artifices teſtimonium præbere. Invidia enim obſtat. Non autem inexpertus es tu talium nugarum; imo probe ſcio, ob hæc te ſæpe in memorabilibus ad dictionibus accerſitum fuiſſe, & neque cauſſam, aut invidiam libenter deriſiſſe. Veritatis enim neque cognitio ulla eſt, neque ullum teſtimonium.

Hæc autem cum diceret, ſubridebat, & mihi, o Damagete, divina ſpecie apparebat, & velut qui priorem ſuam formam exſuiſſet. Et ego: O magnifice Democrite, inquam, magna xenia & hoſpitalitatis tuæ munera in Co mecum auferam. Multa enim me ſapientiæ admiratione implevisti.

Diſcedo enim veritatis tuæ præco, qui humanam naturam inveſtigaſti ac conſideraſti. Quum autem mentis meæ medelam a te accceperim, abeo nunc tempore hoc expetente, itemque corporis curatione. Cras vero, & deinceps, hoc loco rurſus conveniemus.

Atque hæc loquutus, ſurrexi. Et ille paratus erat me ſequi. Cum vero quidam accederet, haud ſcio unde, tradebat ipſi libros. Et ego concitatius feſtinavi, & ad Abderitas in ſpecula me exſpectantes: Viri, inquam, pro legatione veſtra ad me, magna ſit vobis gratia. Vidi enim Democritum virum ſapientiſſimum, qui ſolus potentiſſimus eſt homines prudentes facere. Hæc habui, Damagete, quæ de Democrito valde magna animi lætitia tibi recenſere volui. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Democritus Hippocrati felicitatem.

Accessisti ad nos velut inſanos, o Hippocrates, veratrum nobis daturus, perſuaſus a viris ſtolidis, apud quos labor virtutis inſania judicatur. Tunc autem de mundi diſpoſitione, & de polis, ac aſtris cœleſtibus ſcribebamus. Cum vero horum naturam cognoviſſes, quod omnia valde commode eſſent creata, & quod procul ab inſania, ac deſipientia abeſſent; meam quidem naturam laudaſti, deſipientes autem, & crudeles, ac furioſos illos judicaſti. Nam quæ ſimulachris per aerem vagantia nos decipiunt, quæ ſane mundus eſſe comprehenduntur, & viciſſitudinem habentia creata ſunt; ea mens mea, naturam perſcrutata, vere in lucem produxit. Cujus rei teſtes ſunt libri a me conſcripti. Oportebat igitur te, o Hippocrates, cum viris ejus-

modi prædictis minime congredi, ac converſari, quorum mens ſuperficiaria & inconſtans eſt. Si enim ab illis perſuaſus, mihi velut inſano veratrum bibendum dediſſes, prudentia inſania facta fuiſſet, & artem tuam reprehendiſſent, velut quæ inſaniæ fuiſſet cauſſa. Veratrum enim ſanis datum, menti tenebras offundit. Inſanis autem valde prodeſſe conſuevit.

Arbitror equidem, ſi non deprehendiſſes me ſcribentem, verum recumbentem, aut forte deambulantem, & mecum colloquentem, & nunc quidem indignantem, nunc vero ridentem, ob ea, quæ mente revolvam, & familiaribus me alloquentibus non attendentem, ſed cogitatione inſtantem, & mirum in modum ſpeculantem; putaſſes ſane Democritum, juxta oculorum judicium, ex his, quæ vidiſſes, inſaniæ imaginem præ ſe ferre.

Oportet igitur medicum non ſolum viſu adfectiones judicare, ſed etiam re ipſa, & rythmos ac conſonantias utplurimum indagare, & utrum incipiat morbus, aut medium teneat, aut deſinat, perſcrutari, & differentia, ac anni tempore & ætate obſervata, adfectionem curare, itemque totius corporis naturam conſiderare. Ex his enim omnibus facile morbum invenies. Porro remiſi ad te de inſania tractationem a te conſcriptam. Vale.

EPISTOLA XIX.

Hippocrátis Coi de inſania ſcriptum (a).

(a) Excuſum eſt in Tom. III. pag. 432.

EPISTOLA XX.

Hippocrates Democrito felicitatem.

ARTIS Medicæ recte facta, o Democrite, plerique e vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſæpe adtribuunt. Si vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, medicos reprehendunt, numen prætereuntes. Et ego ſane mihi videor, majorem reprehenſionem quam honorem artis me adſequutum eſſe. Ego enim ad finem medicinæ non perveni, etiamſi ſenex ſim. Neque enim ipſius inventor Æſculapius, ſed & ipſe in multis a ſeipſo diſſenſit, quemadmodum nobis ſcriptorum libri tradiderunt.

Proinde epiſtola a te ad nos miſſa, veratri medicinam reprehendebat. Inductus equidem ſum, o Democrite, velut inſanienti veratrum daturus, non perſcrutatus qualis quis tandem eſſes. Ubi vero tecum congreſſus, cognovi non per Jovem deſipientiæ opus, ſed ferme omni laude, ac commendatione dignum; valde laudavi naturam tuam, optimumque naturæ, ac mundi interpretem te judicavi. Eos vero, qui me induxerunt ad te, velut inſanientes reprehendi. Nam ipſi medicamento opus habebant. Quandoquidem igitur caſus nos in idem conjunxit, recte feceris, ſi ad nos frequentius literas dederis, & libros a te conſcriptos impertiveris. Miſi autem etiam ipſe tibi de veratri uſu libellum. Vale.

EPISTOLA XXI.

Hippocratis de Veratri uſu libellus (a).

(a) Legitur impreſſus p. 302.

EPISTOLA XXII.

Hippocrates ad Theſſalum filium.

Ad cognoſcendam geometriam, & numerorum ſcientiam, mi fili, multum ſtudii adhibeto. Non enim ſolum vitam tuam illuſtrem, & ad multa commodam in humanarum rerum ſtatu efficient, ſed etiam animam acutiorem, & clariorem reddent ad omnium, quorum uſus in medicina expetitur, utilitatem conſequendam. Etenim Geometriæ cognitio, quæ multiformis ac varia eſt, & omnia cum demonſtratione tranſigit, utilis erit & ad oſſium ſitus, & ad exarticulationes, & reliquum membrorum ordinem. Nam ad multiplicem horum adfectionem, & articulorum luxatorum repoſitione, & oſſium contritorum refectione, & perforatione, & compoſitione, & exemptione, ac reliqua curatione, majore induſtria utetur quisquis noverit qualis eſt locus, & quale eſt os, quod ex eo eluxatum eſt.

At vero numerorum ratio & ad circuitus, & ad tranſmutationes febrium præter rationem fientes, & ad judicia ægrotantium, ac ſecuritatis in morbis, ſufficiens erit. Præclara enim res eſt, tale miniſterium in medicina habere, quod tibi partes intenſionis, ac remiſſionis, cum ex parte inæquales fuerint, facile cognoſcibiles exhibet, citra errorem. Quapropter ad hujusmodi experientiæ facultatem pervenire ſedulo ſtude. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Democritus Hippocrati de Natura Humana (a).

(a) Editus eſt Tom. IV. pag. 205.

EPISTOLA XXIV.

Hippocrates Cous Demetrio Regi gaudium.

Nos equidem etiam prius, o Rex, ſtudio habentes naturæ humanæ partes in ſumma conſiderare, has conſcriptas quemadmodum voluiſti demiſimus. Nunc autem ea, quorum maxime ſtudioſos eſſe oportet prudentes, partim a prioribus tranſumpta, partim nunc per nos ipſos comperta, tibi conſcripſimus. Quæ ſi tu priorum morborum ſignis fientibus ſequutus, & iisdem ſæpe uſus fueris, per omne vitæ tempus morborum exſors eſſe poteris.

Duo ſunt morborum univerſorum animalium genera, alterum ſecundum adfectionem, inter ſe diſſimilia. At vero concupiſcentias juxta alimentum ex ſubcontrariis cognoſces, dum ea quæ evacuantur, indicant ea quæ plena ſunt; & quæ implent, conjecturam præbent eorum quæ vacua ſunt. Morbos autem omnes ex ſubcontrariis conſtitutos cognoſces, & morbos a morbis fieri. In convulſionibus febris ſuccedens, ſiſtit morbum; capitis autem dolores, ſanguis ex auribus erumpens, aut ex naribus. Convulſiones omnibus morbis atræ bilis ſuccedentes, atram bilem ſedant. Et in ſumma, radix humanorum morborum eſt caput, & maximi morbi ex hoc accedunt. Quum enim ori velut cucurbita medica incumbat; contingit, ut ipſum omnium eorum, quæ ingeruntur, ſuperfluitates adtrahat, & tenues humores.

Oportet autem animum advertere, & peculiariter vivere, ubi teipſum præparaveris in has partes, quo morbi accidentes nullum augmentum capiant, per curam diligentem & per bonum or-

dinem apud te fientem, ita ut neque rei venereæ intemperantia, neque diverſorum eduliorum incontinentia, neque ſomnis immodicis, inexercitato corpore utaris, ſed ſigna in corpore contingentia ſequaris, & uniuscujusque corporis occaſionem conſerves, quo morbum irruere parantem vites, & medelis, quas ego perſcribo, utens, a morbis exſors perſeveres. Vale.

EPISTOLA XXV.

Decretum Athenienſium.

Visum eſt, ac decretum Senatui & populo Athenienſium. Quandoquidem Hippocrates Cous medicus, & ab Æſculapio originem ducens, magnam benevolentiam una cum ſalute Græcis oſtendit, quando etiam peſte a Barbaris Græciam proficiſcente, diſcipulis ſuis ad locos dimiſſis, indicavit quibus medelis uti oporteat, & accedentem peſtem ſecure effugere, quo medicina Græcis data, ipſorum ægrotos tuto ſervaret. Sed & ſcripta ſua de arte medica exacta edidit, multos eſſe volens medicos qui ſervare poſſent. Et Perſarum Rege ipſum accerſente, & honores optimatibus Perſarum æquales promittente, & dona quæcumque tandem ipſe Hippocrates vellet offerente, Barbari promiſſiones contempſit, eo quod hoſtis & communis inimicus Græcis eſſet. Quo igitur appareat, populum Athenienſium ſemper ea, quæ utilia ſunt Græcis conſultare, & ut gratiam condignam Hippocrati pro benefactis referat; viſum eſt populo, ipſum publice magnis myſteriis initiare, quemadmodum Herculem filium Jovis, & coronare ipſum corona aurea mille aureorum, & ipſam coronam Quinquatriis magnis Minervæ feſtis, in certa-

mine gymnico per præconem proclamare. Et licere omnibus Coorum liberis, ut Athenis pubeſcant, quemadmodum liberi Athenienſium: quandoquidem patria ipſorum hujusmodi virum genuit. Eſſe vero Hippocrati & vitam, & victum proviſum in Prytaneo per omnem vitam.

EPISTOLA XXVI.

Oratio Hippocratis ad aram conſiſtentis.

O vos multi & multarum urbium habitatores, in magna dignitate conſtituti, communi nomine Theſſali, omnibus hominibus amara neceſſitas incumbit, ut quæ a fatis ſtatuta ſunt ferant. Quapropter ego nunc cedens cum mea ſobole, oleæ ramulis coronatus, ad Minervæ aram ſupplex conſiſto. Quis ſim, ignorantibus dicere oportet. Hippocrates, o viri, medicus Cous, non per piam & honeſtam cauſſam, me ipſum & liberos meos vobis commendo. Cognoſcitis me, o plebs. Nam profecto vos eſtis viri mihi familiares, inter quos, ut verum dicam, inter plerosque veſtrum & in multis urbibus veſtris cognitus ſum, ut in ſumma dicam. At vero nomen meum longe ulterius, quam formæ meæ adſpectus, proceſſit. Atque hæc cauſſa ex arte mea ſanitatis, ac vitæ ortum habuiſſe videtur, quod non ſolum hominibus veſtram regionem habitantibus, ſed etiam multis Græcis vobis vicinis cognitus ſum. Jam vero qua de cauſſa tantum negotium opere peragendum adſumpſi, referam.

Athenienſes male habebunt, o viri Theſſali, qui Metropolim, ac patriam noſtram Co devaſtates, in ſervitutem redigunt ea, quæ libera ſunt

ſunt ex progenitorum adquiſitione, privatim ſibi parta facientes: neque cognationem reveriti, quæ ipſis eſt ab Apolline & Hercule, quæ ſane ad Ænium & Sunium filios illorum pervenit, neque Herculis malorum domitoris beneficia mente recolunt, quæ ille communis & vobis & nobis bene faciens Deus in illos contulit. At vos per Jovem ſupplicationibus colendum, & per cognatos Deos egredimini, vindicate, liberate, propriæ virtutis memores, & nihil ad gloriam veſtram ſpectans intermittentes.

EPISTOLA XXVII.

Oratio Legati Theſſali filii Hippocratis ad Athenienſes.

CONVENIRE arbitror, Viri Athenienſes, conſtitutum apud vos, qui non omni multitudini cognitus eſt, primum indicare quis ſit, & unde ſit, poſtea vero reliquam orationem perſequi. Mihi equidem pater eſt Hippocrates, qui quantam in medicina facultatem habeat, vos noviſtis. Nomen autem mihi eſt Theſſalus. Cognitus vero & ego ſum non in poſtremis, neque paucis veſtrum. Patria vero mihi eſt Cos, quæ quomodo vobis cognata ſit ab antiquo, alii dicunt, qui in recenſenda hiſtoria ſunt præſtantiores.

Veni autem miſſus a patre, quatuor beneficia a nobis in vos collata prolaturus. Primum quidem vetus quoddam, tempore progenitorum noſtrorum, commune in omnes Amphictyonas, quorum vos non minima pars eſtis. Alterum vero illo adhuc majus, & ad plurimos Græcorum progreſſum. Atque hæc quidem urbis, & progeni-

torum meorum eſſe apparebunt. Tertium autem patris proprium eſt, & tantum, quantum nemo unus vir & vobis, & multis Græcis contulit. Poſtremum vero ex quatuor commune eſt patris & meum, & quod non ad plures, ſed ad vos ipſos pervenit. Quod quidem priorum beneficiorum comparatione exiguum videri poterit, verum ad aliorum beneficia collatum, magnum eſt. Et ſane hujusmodi beneficia ſic ſe habent, quemadmodum eſſe dixi, ut ſummatim dicam.

Oportet autem non ſolum dicere, ſed etiam demonſtrare quod vera ſunt. Principium igitur ſermonis, ipſum miniſteriorum noſtrorum principium faciam. Vetuſtiſſima vero primum referam, in quibus fortaſſis longiora, ac altius repetita me dicere deprehenderitis. At quisquam vetus dici expetit. Erat enim tempus quando Criſæa gens erat, & habitabat quidem circa Pythicum templum; terram vero habebat, quæ ſane nunc Apollini conſecrata eſt. Appellatur autem Criſæus quidem campus, juxta quem Locri habitant, & cui Melæna adſunt: Cirrhæus vero mons, cui Phocenſes adjacent. Hi porro Criſæi cum eſſent aliquando populoſi, & fortes, & opulenti, his bonis ad malum uſi ſunt. Per inſolentiam enim multa horrenda ac iniqua facta perpetrarunt, in Deum impietatem exercentes, Delphos in ſervitutem redigentes, vicinos deprædantes, agricolas ſpoliantes, uxores ac liberos abducentes, & corpora ipſorum conſtuprantes. Qua de cauſſa Amphictyones ira commoti, & exercitu in terram ipſorum inducto, & ipſius pugna devictis, regionem devaſtarunt, & urbes expugnarunt. Ubi ſane illi, qui multa & impia perpetrarunt, miſere accepti ſunt, non minores pœnas perſolventes, quam ipſi aliis intulerant. Feli-

ciſſimi vero ex ipſis fuerunt, qui intra manus hoſtium perierunt. Secundo loco, qui manu capti ſunt, & qui ad aliam regionem ac urbes tranſiverunt. Sua enim mala ob oculos non habuerunt. Qui vero ex captivis iſthic manſerunt, infeliciſſimi fuerunt, quicumque in ſua ipſorum regione torquebantur. Nam cum uxoribus & liberis, agros & urbes igni tradi videbant. His vero adhuc pejus degebant hi, qui intra mœnia perſeverabant, quando relata mala partim videbant, partim percunctabantur, plura veris audientes. Sic enim fieri ſolet. Et ſane malam ſalutis ſpem habebant. Erat autem ipſis urbs prope hunc locum maxima, ubi nunc certamen equeſtre peragitur, cujus muros exſtruxerant, & eos qui ex aliis urbibus transfugerant, exceperant. Inutilia vero ejecerant, & neceſſaria importaverant. Et cogitabant obſidionem ſuſtinere, bona ſpe præditi, neque manuum pugna, neque longi temporis obſidione urbem capi poſſe.

At vero Amphictyones tum alia devaſtarunt, tum ad hanc urbem præſidio conſtructo, & ad expugnationem præparato, reliquum exercitum per urbes dimiſerunt. Temporis autem progreſſu, cum peſtis exercitum illapſa eſſet, & milites ægrotarent, quidam vero etiam morerentur, alii vero, propter morbum, præſidium reliquiſſent, Amphictyones turbabantur. Et alii alia conſultabant. Solet autem in rebus communibus ſic fere fieri.

Tandem vero adſtrictionem moleſte ferentes, & de bello deſperantes, Deo rem commiſerunt, & quid facere oporteret, interrogarunt. Ille vero bellum gerere juſſit, & victores fore promittebat, ſi ad Co profecti, cervi filium in auxilium adducerent, cum auro: atque hoc feſtinabundi, ne

Criſcei prius in adyto trito tripodem deprædarentur. Sin minus, urbem capi non poſſe. Ipſi vero, his auditis, & ad Co profecti, oraculum propoſuerunt.

Cum autem Coi dubitarent, & oraculum non intelligerent; ſurrexit vir genere quidem Aſclepiades, progenitor autem noſter, medicus vero Græcorum ejus temporis omnium confeſſione optimus: nomen autem ipſi erat Nebrus: qui oraculum dicere inquit, ut ad ſeipſum venirent. Nam deus, inquit, admonuit vos, ut profecti ad Co, cervi filium in auxilium adducatis. Cos equidem hæc eſt. Cervorum autem filii Nebri appellantur, hoc eſt hinnuli. Nebrus autem eſt mihi nomen. Quod vero aliud auxilium potius contigerit exercitui ægrotanti, quam medicus? Et profecto non videtur mihi id conſequens eſſe, quod in tantum divitiis Græcos omnes ſuperantes, Deus ad Co proficiſci juſſerit, & aureum numiſma petere. Verum hoc oraculum in meam domum progreditur. Chryſos enim, hoc eſt aurum, vocatur maſculus meus filius natu minimus. Eſt autem omnino & corporis ſpecie, & animi virtute, quantum patri dicere licet, inter omnes cives præcellens. Ego quidem igitur, niſi vobis aliud videatur, & ipſe proficiſcar, & filium mecum adducam, nave quæ quinquaginta remis agatur, inſtructa meis ſumptibus & miniſteriis medicis ac bellicis referta, quo in utramque partem auxilium feramus. Et hic quidem dixit: illi vero approbaverunt, qui miſſi fuerunt.

At Nebrus hic etiam virum Calydonium apud ſe educatum, in navem adſumpſit: de quo ſtatim, ubi res tulerit, dicemus. Cum igitur perveniſſent hi viri ad caſtra, deus gaudebat. Nam

& mortes militum ceſſabant, & cum divina fortuna equus Eurylochi (qui belli dux erat, Theſſalus genere, & ex Heraclidis ortum ducens) canalem, per quem aqua in urbem ducebatur, ungula percuſſiſſet, ubi in pulvere volutari voluiſſet: Nebrus aquam medicamentis infecit, unde ventres Criſæorum corrupti ſunt: & ſane multum contulit ad hoc ut civitas caperetur. Atque hinc jam animi obſidentium elati ſunt, velut deo jam manifeſte auxilium ferente.

Cum autem impetus facerent, & præmia proponerent his qui primi muros conſcendiſſent; certamen erat fortiſſimum, & urbs capiebatur. Primus enim muros conſcendit Chryſus, & turrim occupavit. Sequebatur autem ipſum e veſtigio vir ille Calydonius, ſub communi ſcuto auxilium ferens, de quo antea dixi. Et Chryſus quidem haſta percuſſus cecidit ex ſumma turri: percuſſus eſt autem a Mermode Lyci fratre, qui lapidibus obrutus mortuus eſt, cum in aditum irrupiſſet tripodem deprædaturus. Hi igitur civitatem ſic cœperunt: & Nebri auxilium cum Chryſo, & ſecundum medicam, & ſecundum bellicam facultatem recte ſucceſſit: & deus vera dixit, & quæ promiſerat fecit. Qua de cauſſa Amphictyones Apollini quidem templum conſecrarunt, quod nunc eſt in Delphis: & certamen gymnicum, ac equeſtre prius non peragentes, nunc peragunt: & Criſæorum regionem univerſam dicarunt deo contributori, reddentes ea quæ dedit in eo, quod oraculum dedit. Et Nebri filium Chryſum in circo equeſtri ſepelierunt: & Delphis publice ipſi parentare præceperunt. Aſclepiadis vero in Co attributa eſt prudentia vaticinandi, quemadmodum his qui mittuntur ex urbibus ad ſacrum Amphictyonum concilium: at-

quæ hoc Nebri gratia. Calydoniis autem ab illo viro & illo miniſterio, etiam nunc in Delphis primæ vaticinandi partes, & alimenta dantur.

Verum redeo ad noſtra. Nam quod vera dico, hinc clarum eſt. Cum enim pater & ego acceſſiſſemus, Amphictyones hæc renovarunt, & attribuerunt, & in columna deſcripta in Delphis dedicaverunt. Atque hujus quidem ſermonis finis clare oſtendit, noſtros progenitores eſſe veſtros benefactores.

Cæterum hoc relicto, alium de iisdem, non eumdem ſermonem, adſumam. Cum enim magnus ille rex cum Perſis, & aliis Barbaris bellum gereret contra Græcos, qui aquam & terram non dediſſent; patria noſtra maluit in totum peſſumdari, ne contra vos, & eos qui vobiſcum ſentirent, hoſtilia arma ſumeret, & in navibus militarem expeditionem mitteret. Sed abnuit, honeſtum quid & dignum patribus meditata, qui Gigantes & Heraclidæ eſſe dicuntur. Viſum igitur eſt ipſis, cum quatuor eſſent muri in inſula, omnes relinquere, & ad montes confugere, & ſalutem tutari. Unde ſane quid non mali obvenit? dum regio fuit devaſtata, & corpora libera mancipata, & hoſtili lege occiſa, & urbs & alia munimenta, ac templa, ad favillam exuſta. Inſuper autem & filiæ Lygdamis Artemiſiæ, circa patrum victoriam datum eſt, omnia quæ reliqua eſſent expiſcari ac exportare. At enim, velut apparet, a diis non ſumus neglecti: verum tempeſtatibus ingentibus exortis, & naves Artemiſiæ omnes in periculo fuerunt, & multæ perierunt: & in exercitum ipſius multa fulmina inciderunt, quum inſula noſtra paucis fulminibus impeteretur. Dicitur etiam ſpectra Heroum mulieri conſpecta eſſe. Quorum ſane omnium timore per-

terrefacta, ab immedicabilibus cœptis deſtitit, amara confeſſione facta, quæ & relatu amara eſt. Quare omittatur.

Attribuam autem & hic progenitoribus meis propriiſſime minime falſa, quod neque contra vos, neque contra Lacedæmonios, aliosque Græcorum ſocios, Coi voluntaria arma ſumpſerint: & quidem quum multi tum inſulas, tum Aſiam habitantes, cum Barbaris in bello conjuncti fuerint, nulla violentia coacti. Equidem præfecti urbis tunc fuerunt Cadmus & Hippolochus. Verum autem eſt, & Cadmum & Hippolochum meos progenitores eſſe. Nam Cadmus, qui & Senatum regebat, matris meæ progenitor eſt. Hippolochus vero ex Aſclepiadis quartus a Nebro, cujus auxilio Criſæi ſunt devaſtati. Nos autem ex virili genere Aſclepiadæ ſumus. Quare & hoc bonum a progenitoribus noſtris profectum amplectimini.

Redeo ad Cadmum. Hic ſane vir adeo commodi Græcorum ſtudioſus fuit, ut cum regio ab Artemiſiæ obſidione liberata eſſet, iſthic relicta uxore, ac ſobole, abiverit cum his qui eadem ſentirent in Siciliam, quo Gelonem & fratres ejus prohiberet, ne amicitiam cum Barbaris contraherent contra Græcos. Perpetravit & alia multa egregia facta, quæ longius producere non eſt tempeſtivum. Atque hæc quidem & hujusmodi multa ſunt publica progenitorum noſtrorum in vos & alios Græcos beneficia. Nam deficit me dicendi facultas.

Venio autem jam ad hoc, ut beneficium Hippocratis patris mei apud eos, qui id ſciunt, producam: quod hoc modo recenſens, vera dicere cognoſcar. Cum peſtis ex Barbaria adflueret, quæ ſupra Illyrios ac Pæonas ſita eſt, & cum

malum in hanc regionem veniſſet; harum gentium Reges ad famam medicam, quæ vera erat, & undiquaque proceſſerat, & ad patrem meum, nuncios miſerunt in Theſſaliam (illic enim pater meus & prius, & nunc domum habet) vocantes ipſum ad auxilium ferendum. Et non ſolum argentum, & aurum, & alias opes ſe miſſuros eſſe receperunt, ſed etiam reportaturum eſſe quæcumque ipſe vellet, ſi auxilium tuliſſet. Ipſe véro cum interrogaſſet quales motus partiales fierent, & æſtus, ac ventos, & caligines perſcrutatus, itemque alia quæ habitus ex præſenti ſtatu commovere ſolent; cum ſane omnia didiciſſet, illos quidem retro diſcedere juſſit, & nulla ſibi facultatem eſſe ad illorum regionem proficiſcendi, pronunciavit. Verum ipſe quamcitiſſime Theſſalis denunciare ſtuduit, quibus modis malum accedens caverent, & medelam conſcriptam per urbes proponebat. Me vero in Macedoniam demiſit. Cum regibus enim Heraclidarum, qui iſthic imperium obtinent, paterna nobis intercedit amicitia. Et ego quidem ibam a Theſſalia eo, quo me pater juſſit, auxilium his, qui iſthic eſſent laturus. Injunxit autem mihi, ut etiam urbi veſtræ opem ferrem. At fratrem meum Draconem ex Pagaſis profectum, in Helleſpontum navigare juſſit, conſimili conſilio inſtructum, quali etiam ipſe utebatur. Non enim omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quod non omnis ambiens non aer ſimilis eſt. Polybium vero, qui filiam ipſius, meam autem ſororem habet, & alios diſcipulos, ad alios aliorum conventus & vias profecturos emiſit, quo quamplurimis opitularetur. Poſtquam autem ipſe res in Theſſalia perfecit, ad vicinas gentes auxilium laturus proficiſcebatur, & ad Pylas profectus, Dorienſibus, & aliis, ſimul-

que Phocenſibus auxilium tulit. Et cum ſane ad Delphos perveniſſet, ſupplicationem Deo pro Græcis fecit, & ſacrificio facto, iter ad Beotos arripuit. Et cum ipſis opem tuliſſet, ſimiliter ad vos progreſſus eſt, & ſufficientia vobis ad ſalutem, quæ ſane nunc ego produco, ex animo penitus dixit. Arbitror autem multos veſtrum noſſe, quod vera dico. Non enim ita diu eſt, ſed nonus hic eſt annus, quando abivi, & in Peloponeſum miſſus ſum, iſthic habitantibus opem laturus.

At vero undiquaque nobis, & verbis, & re ipſa, dignus honor contigit, ut minime pœniteat nos, quod non hunc cum quæſtu ex Illyricis, ac Pæonibus oblato permutaverimus. Verum præ reliquis civitatibus magna ſunt quæ a vobis data ſunt. Nam & reſpublica veſtra alias excedit. Athenæ enim altius quiddam ſunt aliis urbibus, quantum ad gloriam adtinet. Et corona illa antea in veſtro theatro patri impoſita, ad ſummam æmulationem ac felicitatem ipſum evexit. Sed & hoc beneficium ſuperaſtis, dum & patrem, & me publice Cereris & Proſerpinæ myſteriis, ac ſacris initiaſtis.

Atque hæc quidem tria ſunt beneficia, quantum ego verbis conſequi potui, & fracta voce proferre, urbis, & progenitorum, & patris mei, in vos ſimulque multos Græcos. Quartum nunc dicere aggrediar, quod, velut antea dixi, in vos ego & pater meus collocavimus. Cum enim Alcibiadem emitteretis in Siciliam, multa quidem potentia, non autem ita multa, velut admiranda: & ſermo in concione incidiſſet de Medico, quem exercitum ſequi oporteret: pater meus progreſſus, me ad curanda corpora veſtra ſe daturum eſſe promiſit, propriis ſumptibus inſtructum, & citra

mercedis exactionem, quam diu claſſis abeſſet, parvipendens ſuam utilitatem, ut qui ſibi perſuaſiſſet, hoc in veſtrum commodum ceſſurum eſſe. Ego enim non ſolum res meas inſumebam, id quod faciebam vobis inſerviens, ſed etiam ad alia magna opera deſtinatus fui. Et hoc minimum eſt ex his, quæ ſum dicturus. Decrevit enim pater ob me filium fortunæ fluctibus agitari, & in terra aliena, & in mari, & in periculis bellicis, & in ægritudinibus, quæ his qui erroneam vitam degunt, magis accedere ſolent, quam his qui ordinatæ vitæ rationem habent. Novit enim beneficium beneficio metiri, & non velut qui aliquid emiſſet, contractu ex manu in manum facto ſemel, diſcedere. Et hic quidem talia præſtitit. Ego vero, ut qui filius illius ſim, nihil ſtudii & artis prætermiſi, auxilium ferens, & periclitatus vobiſcum, ſi quando occaſio tuliſſet. Et ad hæc ambo præſtanda, neque morbus, neque adflictio, neque timor in mari, & intra hoſtium manus, me prohibuit. Teſtes autem hujus rei non alios aliquos, ſed vos ipſos habeo. Quare ſi quis contradicere volet, is nihil cunctatus exſurgat. Verum non puto me mentiri. Cum autem hæc præſtitiſſem ad annos tres, & aurea corona coronatus, & adhuc pulchrius laudatus; domum redii ad nuptias, quo & artis, & generis noſtri ſucceſſores producerem. Et quæ quidem a civitate, a progenitoribus, a patre, & a me vobis obtigerunt, hæc ſunt. Dictum eſt autem quæ nos a vobis oblata tulimus.

Arbitror autem multos e vobis admirari, qua de cauſſa hæc a me ex tam longinquo principio repetita ſunt. Quo igitur & vos cognoſcatis, & mihi ea quæ cupio contingant, tempeſtivum eſt, ut hoc dicam. Pater meus, o viri Athenienſes,

& ego petimus vos (ſic enim liberos, & amicos loqui decet, quo id, quod petunt ab amicis liberis, conſequantur) contra patriam noſtram hoſtilia arma ne ſumatis. Si vero oportet, quemadmodum fortaſſis oportet eos, qui ſua ipſorum cauſſa progreſſi ſunt, etiam rogamus, ne nos, qui ejusmodi & tam magna beneficia in vos priores contulimus, ſervorum loco habeatis. Inſuper autem (nam & ſic dicere conveniet) ſupplicamus, ne noſtra faciatis vobis ipſis in bello captiva, ſi contigerit ut multo inferiores ſuperetis.

Verum & hoc conſiderate, quod fortuna alias alia cito verſat, & aliquando magni parvis opus habuerunt, & fortes per debiles ſalutem adepti ſunt. Puto autem clarum eſſe, ne clariſſimum dicam, quod ob unum virum non civitas, ſed multæ gentes jam quandoque utilitatem in rebus bellicis conſequutæ ſunt. Et ubi ars in pretio eſt, neque nos contemnere poteritis. Nam neque ita viles ac contemnendi ſumus, quemadmodum in vobis teſtimonium ſitum eſt. Verum ab initio quidem Dei, unde genus noſtrum eſſe gloriamur, Æſculapius & Hercules in hominum utilitatem prognati ſunt. Et hos propter virtutem, quam hic exercuerunt, omnes Deorum loco habent. Urbs autem mea, & ego qui ad vos verba facio, ad tales originem noſtram referimus, quemadmodum ſane hominum traditiones habent. Unde profecto etiam pro Græcis ambo hac parte, & in omni bono, ad ipſos tutandos ſtetiſſe apparebimus. Non enim fabula ſunt res ad Trojam geſtæ, ſed facta, in quibus Cos cum inſulis ſuis non minima, ſed maxima ad ferendum auxilium exiſtit. Sic vero etiam Æſculapii filii, non arte ſolum, ſed etiam armis, Græcis auxilium tulerunt. Machaon equidem animam in Troade depoſuit,

quando, velut ſcriptores de his prodentes dicunt, ex equo in Priami urbem venit. Proinde neque eo quod contribules, neque eo quod ex auxiliariorum numero auxiliares etiam ipſi Græcis ſumus, nos injuria adſeceritis. Non in longum extendam ſermonem, res Criſæorum, aut Perſicas iterum repetendo, quando & ipſas audiviſtis, & in manibus magis ſunt, quam ea quæ paullo ante relata ſunt. Quin & ſic cogitate, minime pium eſſe benefactores injuria adficere. Nos autem benefactores eſſe, facta ipſa clamant. Ex quibus patribus prognati eſſe videbimini (quemadmodum fabulatores dixerunt) ſi injuria adficere, quam benigni eſſe malueritis? Neque enim amarulentius quidquam dicere volo. Illi enim, o viri Athenienſes, Heraclidis quidem gratias rependerunt. Aliis autem multis, beneficio adfecti, viciſſim auxiliati ſunt. Deficiat profecto me dies longius narrantem, ſi recenſere velim, quot hominibus quanta bona obvenerint, qui nihil de vobis bene meriti fuerunt.

Circumſpicite vos ipſos, & me nullo dicente, conſiderate qualia perpetretis. Mala res eſt poteſtas, o viri Athenienſes. Non enim quæ ſua ſunt, menſura diſponere novit. Sed & urbes quasdam & gentes jam perdidit. Si vero ad alios velut in ſpeculum reſpexeritis, videritis ipſi quæ facitis, & ego vera dico. Quin & lex nova eſt: Quicumque felici rerum ſucceſſu confiſus, non etiam ad rerum difficultates reſpicit: Non eſt hoc veſtrum, viri Athenienſes. Multum enim etiam ſic Deum tentaretis. Nullam vobis injuriam intulimus. Si vero etiam intulimus, non armis, ſed verbis judicemur. Deprecamur autem vos etiam hoc, ne faciatis nos aliis gratiam debere, qui nobis auxilium ferent, auxilium enim

nobis ferent, ſi recte fecerint, & qui intra Theſſaliam, Argos, Lacedæmona, Macedoniam, ſunt reges, & ſicubi alii Heraclidæ, aut Heraclidarum cognati habitant. Præſtat citra violentiam, quam vi coactos facere quæ juſta ſunt. Non dico de inſolenti adverſum vos rebellatione; verum hoc vobis manifeſtum facio, quod multi noſtri curam gerunt, aut certe curam habebunt, niſi undiquaque de terra periit, benignos adhuc eſſe homines. Ego quidem igitur, exiguæ enim mihi ſunt ad dicendum vires, utpote qui aliarum rerum ſtudio ſim addictus, hic deſinam.

Rogo autem vos per hoſpites noſtros, & per eos qui nobis conſiliarii eſſe conſueverunt, & per Deos, & Heroas, ac gratias, quæ hominibus ab hominibus contingunt, ut inimicitias quidem veſtras adverſum nos deponatis, ad amicitiam vero vos convertatis. Si enim non in veſtra civitate hæc conſequemur, haud ſcio quo progreſſi, eorum, quæ cupimus, compotes fiemus.

HIPPOCRATIS VITA EX SORANO, JANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

HIPPOCRATES genere Cous fuit, Heraclidæ & Praxitheæ filiæ Phenaretes filius. Ad Herculem autem & Æſculapium originem generis ſui referebat, ab alteroque ſe vigeſimum, ab altero decimum nonum ſe numerabat. Ejus autem genealogiæ Eratoſthenes mentionem facit, & Pherecydes, & Apollodorus. Arius item Tarſenſis.

Cæterum parentis ſui Heraclidæ diſcipulus fuit, deinde Herodici, & ut quidam tradunt, Georgiam Leontinum rhetorem audivit, & Democritum philoſophum Abderiten. Floruit temporibus Peloponeſiacis, natus (velut Iſtomachus in primo de Hippocratis ſecta tradit) primo octogeſimæ Olympiadis anno. Soranus vero Cous, qui Coorum bibliothecas perſcrutatus eſt, addit, ſub Abriadæ monarchia, Agriani menſis ſeptima & viceſima die, in qua etiam usque in hunc diem Coos Hippocrati omnia ſacra facere tradit.

Porro quum in arte medica, totoque diſciplinarum orbe exercitatiſſimus eſſet, functis vita parentibus, ex patria diſceſſit, ut quidem maligne de eo Andreas in eo, quem de medicinæ origine ſcripſit, libro prodit propterea quod publicam Cnidiorum bibliothecam igne concremaſſet.

Alii

Alii autem eo propoſito eum patriam reliquiſſe dicunt, ut rei medicæ effectus & ſucceſſum per multos locos cognoſceret, & in his variis modis exercitaretur, quemadmodum vero Soranus Cous narrat, ſomnus deus eum per ſomnium admonuit, quo ſe ad Theſſalorum regionem inhabitandam conferret.

Cæterum per omnem Græciam medicinæ gloria omnibus admirationi fuit, adeo ut etiam a Perdicca Macedonum rege, qui tabe laborare putabatur, vocatus publice ſit, ad ipſumque una cum Euryphonte, qui ipſo ætate major erat, pervenit; animique hunc regis adfectum eſſe certis ſignis deprehendit. Poſt mortem enim Alexandri parentis, unam ex pellicum ejus numero Phylam nomine Perdiccas deperibat, ad quam quum rem ipſam Hippocrates detuliſſet, poſtea ex illius conſpectu omnino illum mutari obſervavit, atque ita morbo depulſo regem conſervavit. Vocatus eſt & Abderam, quo præſens ipſe Democritum ab inſania liberaret, atque eo ſanato, a tota urbe peſtem depelleret. Quin & in Illyricum plurimasque barbaras terras peſte ingruente, & illarum gentium regibus ipſum ad ſe vocantibus, quum a legatis ipſorum, qui venti in illis regionibus vigerent, didiciſſet, ipſos re infecta dimiſit. At vero, quum prudenti ratiocinatione peſtem in Atticam graſſaturam prævidiſſet, futurum id prædixit, & tum civitatûm, tum diſcipulorum curam geſſit, intantumque Græciæ amator fuit, ut quum ipſius nominis celebritas usque ad Perſas divulgaretur, atque ea gratia ab Artaxerxe per Hiſtanidem Helleſponti præfectum, magnis muneribus & precibus, ut ad ipſum veniret, invitaretur, ob honeſtatem, argentique contemptum, ac Græciæ amorem, regi id denegarit,

quemadmodum & hoc ex epiſtola ejus ad illum manifeſte oſtenditur.

Propriam porro patriam liberavit, quum Athenienſes ei bellum illaturi eſſent, Theſſalis ad auxilium ferendum rogatis, quapropter ſplendidos honores apud Coos conſequutus eſt: imo & apud Theſſalos, Argivosque, & Athenienſes, qui eum Eleuſiniis ſacris ſecundum ab Hercule publice initiarunt, & civem conſcripſerunt, atque in Prytaneo alimenta tum ipſi, tum poſteris ejus dederunt. Liberaliter autem, & minime invidioſe ſtudioſos artem edocuit, decenti jurejurando prius adſtrictos.

Vita functus eſt apud Lariſſæos, quando & Democritus obiiſſe traditur, atque alii quidem nonageſimo ætatis ſuæ anno, alii octogeſimo quinto, alii centeſimo quarto, quidam vero centeſimo nono deceſſiſſe tradunt. Sepultus autem eſt inter Gyrtonem & Lariſſam, ubi usque in hunc diem monumentum ejus cernitur, in quo ſane ad multum tempus examen apum mellificantium erat, quo melle ad infantum oris ulcuſcula juxta tumulum illito, nutrices ea facile perſanabant.

Porro in multis imaginibus velato capite pingitur, ut quidam ajunt pileo, quod nobilitatis ſignum eſt: nam hoc modo etiam Ulyſſes pileatus cernitur. Alii autem pallio velatum dicunt, atque ex his aliqui, decoris gratia, id fieri adſerunt, quandoquidem calvus erat: aliqui vero ob capitis imbecillitatem id fieri perhibent, aliqui autem ſignificanter id ab eo factum volunt, nimirum quod principem rationalis animæ ſedem probe munitam & contectam eſſe oporteat. Alii ſignum peregrinationes amantis eſſe ferunt: alii vero rurſus obſcuritatem ſcriptorum ipſius per hoc

hoc ſignificari contendunt. Alii poſtremum in teſtificationem id fieri volunt, quod etiam ſanitatis tempore ea, quæ lædere poſſunt, cavere debeamus. Quamquam quidem affirment, quod in adminiſtratione rerum gerendarum, ne quid a circumfluo pallio manus ipſius impedirentur, id ipſum complicatum in caput rejicere conſueverit.

Cæterum de ſcriptis ipſius multa diſſenſio eſt, quare fit, ut quum alia alii opinentur, non facile ſit de ipſis certum quid pronunciare, ob multas præſertim cauſſas, quæ judicii certitudinem obfuſcant: velut eſt primum quidem cognomen. Secundo, quod dictionis characterem poſſibile ſit ſervare. Tertio, quod unus, & idem modo robuſtiore, modo remiſſiore dictione per ætatem utatur: neque deſunt etiam aliæ præter has cauſſas, ſi referre libeat.

Pecuniarum autem penitus contemptor fuit, moribusque ſanctis, ac Græcorum amator, quare etiam gentiles ſuos ſumma diligentia curavit, adeo ut a peſte omnes ipſorum civitates liberarit, quemadmodum ſupra dixi. Unde & ſplendidos honores non apud Coos tantum, ſed & apud Argivos & Athenienſes eſt conſequutus.

Filios a morte reliquit duos, Theſſalum & Draconem, diſcipulorum vero magnum numerum. Clariſſimi vero ipſius filii fuiſſe perhibentur.

* *
*

DE VITA ET FAMILIA

SCRIPTISQUE

HIPPOCRATIS

TESTIMONIA

EX

JOANNE ANTONI DE VANDER LINDEN.

JOA. TZETZES.

Hiſtor. VII. *Chiliad.* *CLV.* 945.

PAULO LACISIO, VERONENSI, interprete.

ISTE Cous Medicus, magnus Hippocrates,
Patre quidem erat Heraclida, matre autem Phænareta,
Exſiſtens ſeptimus decimus, ex Æſculapii progenie.
Poſt enim Trojæ captionem, in trajectione Rhodi,
Podalirius filius Æſculapii exſiſtens,
Hippolochum genuit, ex quo Soſtratus natus eſt,
Ex quo Dardanus, ex quo Criſamis, ex quo Clemyttades,
Cujus filius Theodorus, ex hoc autem Soſtratus alius,
Ex quo Soſtrato Criſamis ſecundus natus eſt.
Criſamide Theodorus ſecundus rurſum natus eſt.
Ex Theodoro hoc autem Soſtratus tertius,
Ex quo Nebrus, ex quo Gnoſidicus, ex quo Hippocrates.
Primi Hippocratis autem, filii Gnoſidici,

Filius erat Heraclidas: ex quo, & Phænareta,
Ille magnus, qui & ſecundus, fuit Hippocrates.
Quem pater Heraclidas, quæ medicorum ſunt, docet:
Quique ex Selybria Herodicus, cum hoc.
Gorgias Leontinus vero artem rhetorum,
Philoſophiam poſt ipſos Democritus ille.
In Coo autem librorum cuſtos deſignatus Hippocrates,
Antiquos medicorum exuſſit libros,
Et librorum armentarium, quapropter fugiens illinc
In Hedonis moratus eſt, Græcia, Theſſalia,
Artaxerxæ contemporaneus exſiſtens, & Perdiccæ.
Filii Hippocratis autem, Theſſalus atque Dracon,
Quos, & Praxagoram Coum, atque alios,
Medicinam docuit, ſcripſitque libros
Tres & quinquaginta. Deinde moritur autem,
Annorum exſiſtens centum ſimul atque quatuor.
Mortuus autem ſepultus eſt medio inter Lariſſam, atque Gyrtonem.
Septem Hippocrates autem ſcito fuiſſe:
Gnoſidici primum quidem, Heraclidæ autem ſecundum,
Illum Theſſali, illum Draconis, duos filios Thymbræi,
Et illum Praxianactis ſeptimum Hippocratem.
Septem Hippocrates quidem: iſte autem pingebatur
Contegens ſuum caput ſuo cum veſtimento.
Quatuor autem cauſſas hujus dicunt eſſe:
Vel enim dolens caput, vel velut peregrinus,
Vel tamquam oſtendens ratiocinationis inſtrumentum id eſſe,
Vel quo modo in chirurgiis oporteat caput operire.
Hoc faciebat vir, & ſic depingitur.

Male autem quidam dicunt, empiricum virum.
Ex Epheſio Sorano res Hippocratis expoſui.
Qui Hippocrates Medicus, Heraclidæ, Cous,
Jubebat (ſententiis erudiebat medicorum genera)
In alienis calamitatibus proprias vindemiare triſtitias.

VI. 2. SVIDAS

Lexico.

ÆM. PORTO interprete.

Cos: inſula. Unde Hippocrates medicus. Quæ & Meropis vocatur.

STEPHANUS

de Urbibus.

JO. ANT. VANDER LINDEN interprete.

Cos urbs, & inſula. Hinc vero cognomen Hippocrates, & Eraſiſtratus medici acceperunt. Erat autem Hippocrates ex Nebridis dictis. Nebrus enim fuit nobiliſſimus Aſclepiadarum: cui & Pythia teſtimonium perhibuit, cujus, Gnoſidicus: Gnoſidici, Hippocrates, & Ænius, & Podalirius. Hippocratis, Heraclides, cujus, Hippocrates ille celeberrimus, qui & admirabiles libros reliquit.

ISIDORUS HISPALENSIS,

Geograph. ſive *Orig.* XIV. 5.

Coos inſula, adjacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus: quæ, ut Varro teſtis eſt, arte lanificii prima in ornamento feminarum inclaruit.

SVIDAS

Lexico.

ÆM. PORTO interprete.

Hippocrates Cous medicus, Heraclidæ filius, *artis medicæ peritiſſimus.* Præfertur enim etiam avo, & patri Heraclidæ, quamvis ejusdem nominis eſſet, quod tanquam ſidus, & lumen fuerit medicinæ, quæ vitæ eſt utiliſſima. Fuit autem unus ex poſteris Chryſi, & Elaphi, illius filii, qui & ipſi fuerunt medici. Hic primum quidem fuit diſcipulus patris, poſtea vero Herodici Selybriani, & Gorgiæ Oratoris ac philoſophi; ut vero quidam *tradunt*, Democriti Abderitæ. Ipſum enim adoleſcentem ad illum jam ſenem acceſſiſſe *ferunt.* Ut vero quidam *dicunt*, *fuit* & Prodici *diſcipulus.* Commoratus eſt in Macedonia, Regi Perdiccæ admodum charus. Duos habuit filios, Theſſalum, & Draconem. Obiit autem ætatis anno CIV. Sepultus eſt Lariſſæ in Theſſalia. In imaginibus autem traditur ipſum habere caput veſte involutum, & tectum: vel quod hic eſſet ejus mos, vel propter peregrinandi ſtudium, quo flagrabat, vel ob peculiarem in chirurgia morem. Hic multa ſcripſit, & apud omnes clarus evaſit: adeo ut magnus ille Perſarum rex, qui vocabatur Artaxerxes, ſcriptis ad Hyſtanem litteris, hujus viri ſapientiam expetiverit. Rex regum, & cætera. Libri autem ab Hippocrate ſcripti omnibus medicinæ ſtudioſis ſunt notiſſimi, eosque adeo amplectuntur, *tantique faciunt*, ut divinas, non autem ex humano ore progreſſas voces *eſſe putent.* Præcipuos tamen & ipſi recenſebimus: Primus igitur liber eſt ille, qui *medicum* jusjurandum continet: Secundus vero, qui prædictiones explicat:

Tertius Aphoriſmorum, qui ſuperat ingenium humanum: Quartum locum teneat celeberrimum illud, & valde admirabile opus, quod a LX. librorum numero vocatur Hexecontabiblus, quod omnem medicam ſcientiam, & ſapientiam continet.

Hippocrates, Gnoſidici filius, Cous, pater Heraclidæ, patris Hippocratis, medicus & ipſe, e familia Aſclepiadarum, Artem medicam *ſcripſit.*

Hippocrates, Theſſali F. Cous medicus, nepos Hippocratis ſecundi, filii Heraclidæ, ſcripſit & ipſe medica.

Hippocrates quartus Draconis F. Cous medicus, ejusdem & ipſe generis, qui curavit Roxanen. Sub Caſſandro autem, Antipatri filio, de vita deceſſit; ſcripſit & ipſe medica.

Hippocrates duo, quintus, & ſextus medici, Thymbræi filii, Coi & ipſi, ejúsdem generis; ſcripſerunt ambo in eandem ſcientiam.

Hippocrates ſeptimus, Cous, & ipſe medicus, Praxianactis filius, ejusdem & ipſe generis; ſcripſit & ipſe de eadem arte.

JOH. TZETZES.

Hiſtor. X. *Chil.* CCCXLIX. 722. ut & XII. *Chil.* CCCCXXXIV. 638.

PAULO LACISIO VERONENSI. interprete.

ASCLEPIADÆ igitur vocantur quidem proprie,
Quotquot trahunt ſeriem a genere hoc,
Sive medici, ſive aliam exercentes vitam,
Quemadmodum Hippocrates, atque alii complures.
Medici vero dicuntur magis abuſive

Aſclepiadæ omnes, ab arte hujusmodi: Quemadmodum & Nicomachus, pater Ariſtotelis.

A. CORN. CELSUS

Præfat. pag. edit. Linden. 3. *lin.* 3.

Democriti autem, ut quidam crediderunt, diſcipulus Hippocrates Cous, primus ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, vir & arte, & facundia inſignis.

SVIDAS

Gorgia

ÆM. PORTO interprete.

Gorgias Charmiantidæ *filius*, Leontinus, Rhetor, Empedoclis diſcipulus, magiſter Poli Agrigentini, & Periclis, & Iſocratis, & Alcidamantis Eleatæ, qui & in ſchola ipſi ſucceſſit. Frater autem fuit Herodici medici.

SVIDAS

Democrito

ÆM. PORTO interprete.

Ipſius vero diſcipulus inſignis fuit Metrodorus Chius. Cujus viciſſim auditores *fuerunt* Anaxarchus, & Hippocrates medicus.

EUSEBIUS PAMPHILUS

Chronic. lib. I. *pag. edit. Scal.* 55. *l.* 8. 12. 17.

V. L. interprete.

Sub Artaxerxe Longimano etiam Peloponneſiacum bellum fuit patratum. Tunc Hippocrates Cous medicus innotuit.

IDEM ibid. p. 55. l. 28.

Macedonibus imperante Perdicca, Hippocrates Cous medicorum optimus innotuit, genus Aſclepiada.

EUSEB. PAMPHILUS

Chron. can. p. edit. Scal. 172.

D. HIERONYMO interprete.

l. II. *p. ed. Scal.* 133.

Olymp. LXXXVI. Democritus Abderites, & Empedocles, & Hippocrates medicus, Gorgias, Hippiasque, & Prodicus, & Zeno, & Parmenides Philoſophi inſignes habentur.

LUCIANUS

Philopſeudæ

JOH. BENEDICTO interprete.

Et mihi, o Eucrates, eſt æreus Hippocrates, magnitudine ferme cubitali, qui duntaxat extincta lucerna, totam domum in orbem ambit, ſtrepens, & pyxides evertens, & pharmaca commiſcens, & oſtium ſubvertens, imprimis ſi ſacrificium differamus, quod ei quotannis facimus. Poſtulat ergo, inquam ego, etiam Hippocrates medicus jam ut ſibi ſacrificetur, indignaturque niſi in tempore juſtorum ſacrificiorum epulis accipiatur? quem boni conſulere oportebat, ſi quis ei libaret, aut mulſum infunderet, aut caput coronaret.

MAX. TYRIUS

Serm. VII.

COSMO PACCIO interprete.

Horum igitur aliquis ſi figulum audiat dicentem, homines hujusmodi, quod ea ratione compoſiti eſſent, ut nequaquam Hippocratis curationibus egerent, oportere Hippocratem ipſum coronatum velleribus, ac delibutum unguentis, in alium locum amandare, ubi vigentes morbi, ejus operam expoſcerent, & medicinam honorabilem redderent.

PLINIUS SECUNDUS

Hiſt. nat. XXIX. I.

Diis primum inventores ſuos adſignavit, & cælo dicavit. Nec non & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æſculapium fabulata, quoniam Tyndaridem revocaſſet ad vitam. Nec tamen ceſſavit narrare alios revixiſſe opera ſua, clara Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen dumtaxat remediis. Sequentia ejus (mirum dictu) in nocte denſiſſima latuere usque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in inſula Coo, imprimis clara ac valida, & Æſculapio dicata. Is, cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.

ISIDORUS HISPALENSIS

Orig. IV. 3. 4.

Medicinæ autem artis auctor ac repertor apud Græcos perhibetur Apollo. Hanc filius ejus Æſculapius laude vel opere ampliavit. Sed poſtquam fulminis ictu Æſculapius interiit, interdicta fertur medendi cura, & ars ſimul cum auctore defecit, latuitque per annos pene quingentos usque ad tempus Artaxerxis regis Perſarum. Tunc eam revocavit ad lucem Hippocrates, Aſclepio patre genitus, in inſula Coo.

Itaque tres viri totidem hæreſes invenerunt. Prima Methodica inventa eſt ab Apolline, quæ remedia ſectatur, & carmina. Secunda Empirica, id eſt experientiſſima, inventa eſt ab Æſculapio, quæ non indiciorum ſignis, ſed ſolis conſtat experimentis. Tertia Logica, ideſt, rationabilis, inventa ab Hippocrate. Iſte enim diſcuſſis ætatum, regionum, vel ægritudinum qualitatibus, artis curam rationabiliter perſcrutatus eſt.

Auctor Medici, c. I.

JO. ANDERNACO interprete.

Perfectam medicinam, & omnibus numeris abſolutam, illam divinam ſcilicet, Æſculapius ſolus invenit. Illam vero, quæ inter homines verſatur, hujus ſucceſſores, Aſclepiadæ poſteri veluti hæreditario acceptam tradiderunt, maxime Hippocrates, qui omnibus facile præcelluit, primusque perfectam apud Græcos medicinam in lucem protulit.

PHILOSTRATUS

de Vita Apollon. Tyanei III. 114.

FED. MORELLO interprete.

Iarchas multa bona erga homines divinationem efficere dixit. Inter quæ præcipuum eſt medicinæ donum. Non enim, inquit, ii, qui ſapientes in hac arte habiti ſunt, Æſculapii filii tam multum profeciſſent, niſi Apollinis filius Æſculapius, juxta patris vaticinia morbis proficua remedia compoſuiſſet: quæ ille deinceps filios docens, atque illi nepotibus poſterisque tradentes, amicis tandem, familiaribusque eadem demonſtrarunt.

SORANUS EPHESIUS

Præf. in Artis med. Iſag.

Medicinam quidem invenit Apollo, amplificavit Æſculapius, perfecit Hippocrates: quem mihi hominis ducem, & judicem omnium cauſſarum, & quæſtionum oportet accipere, tamquam parentem, & inventorem omnium bonorum operum, per quem Logica nobis juxta rationem eſt facta traditio.

AUCTOR

l. de Catharticis c. I.

Hippocrates libros, amore medicinæ per diverſas civitates, provincias, & ſingulas regiones proficiſcens, experimento cognoſcitur collegiſſe, & artificioſe vitam & theoremata conſummaſſe: & quomodo ordinando nobis medicinam derelictam, voluiſſet perquirere, ut poſteris traderet.

ÆLIANUS

Variæ hiſt. IV. 20.

JUSTO VULTEJO interprete.

Dicunt etiam in primo congreſſu cum Democrito Hippocratem de ipſo tamquam de ſtulto ſenſiſſe. Poſtquam vero ipſis familiaritas interceſſerat, mirum in modum admiratum eſſe hominis ſapientiam.

JOA. TZETZES

Hiſtor. I. *Chil.* lxi. 978.

PAULO LACISIO

Veronenſi interprete.

Abderites Democritus, filius Hegeſiſtrati,
Leucippi autem diſcipulus, diſcipuli Meliſſi,
Tamquam vere philoſophus, omnia pulcre ſciens,
Semper vanitatem vitæ deridebat.
Abderitæ autem arbitrati inſanire virum,
Decem talentis dono miſſis Hippocrati,
Rogabant curatum venire medicum Coum.
Medicus autem profectus navi, & absque pecuniis,
Conſpicatus Democritum ipſum, iterum reverſus eſt,
Plus ipſe curatus, quam qui curaſſet hunc:
Confeſſusque gratias omnibus Abderitis,
Quod talem propter ſapientem virum agnoverit.

DIOGENES LAERTIUS

Democrito l. IX.

FR. AMBROSIO interprete.

Refert autem Athenodorus in VIII. Deambulationum libro, quum ad Democritum Hippo-

crates veniſſet, juſſiſſe afferri lac, inſpectoque lacte dixiſſe. Et capellæ primi partus & nigræ eſt. Unde maximum diligentiæ ſuæ miraculum Hippocrati feciſſe. Sed & puellam Hippocratis comitem, primo die ita ſalutaſſe, ſalve virgo: poſtridie vero, ſalve mulier. Fuerat enim puella nocte illa vitiata.

SVIDAS

Democrito.

ÆMYL. PORTO interprete.

Democritus Abderites non adiit Athenas, ſed tantam urbem contemſit. Nam non a loco gloriam accipere volebat: ſed loco gloriam conciliare ſtudebat. Cum autem Hippocrates ad Democritum veniſſet, *ajunt* juſſiſſe lac adferri: quod cum vidiſſet, dixiſſe, lac eſſe capræ primiparæ & nigræ. Hippocratem vero admiratum fuiſſe ipſius accuratam rerum cognitionem. Quin etiam puellam, quæ cum Hippocrate ad ipſum acceſſerat, primo quidem die ab ipſo ſic ſalutatam: ſalve puella. Poſtridie vero, ſalve mulier. Illa enim puella noctu fuerat ſtuprata.

PLINIUS

Hiſtor. nat. VII. 37.

Hippocrates (enituit) medicina: qui venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia.

VARRO

de Re ruſt. 1. 4.

Annon ille Hippocrates medicus in magna peſtilentia, non unum agrum, ſed multa oppida, ſcientia ſervavit?

BARTHOL. SYLVANIUS

interpres.

Hippocratis apud Græcos omnes memoria in ævum durabit, quandoquidem publice eſt de omnibus bene meritus.

AETIUS AMIDENUS

tetrab. II. *ſerm.* I. *c.* 94.

JANO CORNARIO interprete.

Sed & rogo ingenti exſtructo & incenſo aerem ad caliditatem & ſiccitatem tranſmutare quis poteſt, humidum & frigidum factum, quemadmodum Hippocratem Athenis feciſſe dicunt, itemque Acronem Agrigentinum.

NICOMEDIS,

ſive ut alii,

BASSI

in Hippocratem diſtichum recurrens,

ex Anthol. Epigrammat. l. 1. *c.* 39.

Hippocrates fuit arx miſeris, ac gentibus ægris
Reddidit hic vires: Dis, tibi pauperies.

Recurrens.

Pauperies tibi, Dis: vires hic reddidit ægris

Gentibus, ac miſeris arx fuit Hippocrates.

Joh. Coccejus.

AUCTOR

l. de Ther. ad Piſon. c. 16.

JUL. MART. ROTA interprete.

Quocirca ſummis laudibus proſequor admirandum Hippocratem, qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repulit, quam aerem purum faciendo, ne ab hominibus (qualis tunc erat) infectus hauriretur. Præcepit itaque ut per totam civitatem ignis accenderetur, qui non ſolum ex ſimplici materia conſtaret, ſed bene olentes coronas & flores haberet. Talia ſiquidem ignibus alimenta ſubminiſtrari conſuluit, ut & unguenta quam pinguiſſima infunderent, & id genus alia bonum odorem fundentia: ut hoc pacto cives aerem purum inſpirantes ab imminenti lue tuti forent.

GALENUS

l. Quot opt. med.

LUD. BELLISARIO interprete.

An noſtris ſeculis quemquam memorare poſſumus, qui tantum habere cupiat, quantum ſit ad uſum vitæ neceſſarium? qui non verbis tantum effingere, ſed etiam propriis vitæ exemplis docere poſſit divitiarum terminum, qui quidem ſit ſecundum naturam, nec ultra, quam ut fames, ſitis, frigus abſit, progredi. Sed, ſi quis tamen ejuſmodi eſt, is & Artaxerxis & Perdiccæ poteſtatem contemnet, nec unquam in conſpectum hujus ibit: huic vero ſic ægrotanti, ut Hippocratis artem deſideret, medebitur quidem, non

tamen ſemper cum eo eſſe volet, ſed Cranonem & Thaſum, aliaque ad oppida multa proficiſcetur, ut pauperibus his locis ægrotantibus curationes adhibeat. Cois hominibus civibusque ſuis Polybum aliosque diſcipulos relinquet: ipſe Græciam peragans omnem perquiret, (*vel* occupabit) ut naturam locorum, ſicut oratione (*vel* narratione) didicit, ſic experimentis comprobet.

SCRIBONIUS LARGUS

Epiſt. ad C. Jul. Calliſtum.

Hippocrates conditor noſtræ profeſſionis initia diſciplinæ ab Jurejurando tradidit: in quo ſanctum eſt, ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonſtretur a quoquam medico, longe præformans animos diſcentium ad humanitatem.

OCTAVIANUS HORATIANUS

ad Victoriam III. 6.

Abortivum dare nulli unquam fas eſt. Ut enim Hippocratis atteſtatur adjuratio, tam duri reatus conſcientia medicorum innocens officium non debet maculari.

TERTULLIANUS

de Anima c. 25.

Atqui & in ipſo adhuc utero infans trucidatur, neceſſaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum; matricida, ni moriturus. Itaque & inter arma medicorum & organon eſt, quo prius pateſcere ſecreta coguntur, tortili temperamento, cum anulo cultrato, quo intus membra cæduntur, anxio arbitrio; cum hebete

hebete unco, quo totum facinus extrahitur violento puerperio. Eſt etiam æneum ſpiculum, quo jugulatio ipſa dirigitur, cæco latrocinio: ἐμβρυοσφάκτην appellant. de infanticidii officio utique viventis infantis peremptorium, hoc & Hippocrates habuit, & Aſclepiadés, & Eraſiſtratus, & majorum quoque profector Herophilus, & mitior ipſe Soranus, certi animal eſſe conceptum. atque ita miſerti infeliciſſimæ hujusmodi infantiæ, ut prius occidatur, ne viva lanietur.

SORANUS EPHESIUS

Iſag. Art. med. c. 3.

Memor etiam ſit juramenti Hippocratis, ut ab omni culpa abſtineat, maxime venereo, & corruptibili actu. Ea quæ in domibus aguntur, & dicuntur, tamquam myſteria celanda exiſtimet. Sic enim ſibi & arti ampliorem laudem acquiret. Habeat etiam digitorum elegantiam & ſubtilitatem, ut ſuavis omnibus videatur, & in tangendo ſubtilior appareat: hæc enim & ipſe Hippocrates dixit.

D. HIERONYMUS

ad Nepotianum de Vita Clericorum cap. 18.

Hippocrates adjurat diſcipulos, antequam doceat, & in verba ſua jurare compellit, extorquet ſacramento ſilentium, ſermonem, inceſſum, habitum, moresque præſcribit: quanto magis nos, quibus animarum cura commiſſa eſt, omnium Chriſtianorum domos debemus amare quaſi proprias?

AVENZOAR

II. *Theiſir.* I. 5.

Quilibet medicus tenetur obſervare præcepta Hippocratis: quæ ſunt, quod medicus non debet diſcipulum docere, niſi prius jurare ipſum faciat, ne utatur medicinis mortiferis, vel veneneſis ullo modo.

M. ANTONINUS

Imp. de Rebus ſuis lib. III. §. 3.

TH. GATAKERO interprete.

Hippocrates, ubi multos ſuſtulerat morbos, morbo tandem & ipſe ſublatus eſt.

IGNOTI

Epitaphium Hippocratis.

Ex Anthol. Epigrammat. ſect. III. *c.* 15.

Theſſalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,
Phœbi immortalis ſemine progenitus.
Crebra trophæa tulit morborum armis medicinæ,
Laus cui magna, nec id ſorte, ſed arte fuit.

Th. Morus, Anglus.

ÆLIANUS

Var. hiſt. IV. 20.

JUSTO VULTEJO interprete.

Dicunt præterea, Hippocratem fuiſſe Dorienſem: ſed in gratiam Democriti Jonica lingua ſuos libros ſcripſiſſe.

C. PLINIUS SECUNDUS

Nat. hiſt. XXVI. 2.

Hippocrates certe, qui primus medendi præcepta clariſſime condidit, referta herbarum mentione invenimus volumina.

M. AUR. CASSIODORUS

Divin. lect. c. 31.

Poſt hæc legite Hippocratem, atque Galenum latina lingua converſos, id eſt, Therapeutica Galeni ad philoſophum Glauconem deſtinata. Deinde Cælii Aureliani de medicina, & Hippocratis de Herbis & curis.

D. AUGUSTINUS

contra Manichæum XXXIII. 5.

Nonne, ut alios omittam, ſub Hippocratis medici nobiliſſimi nomine quidam libri prolati in authoritatem a medicis non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis eſſe conſtaret, impares judicati ſunt, & quod ab eo tempore, quo & cætera ſcripta ejus, non innotuerunt, quod vere ejus eſſent. Hos autem libros, quibus illi, qui de tranſverſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis, unde ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit.

A. CORN. CELSUS

de Medic. VIII. 4. *p. edit. Linden.* 515. *l.* 1.

A ſuturis ſe deceptum eſſe, Hippocrates memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio; præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur; ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt. Sed hæc quidem alioquin memoria magni profeſſoris, uti interponeremus, effecit.

M. F. QUINTILIANUS

Inſtit. Orat. III.

Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ, videtur honeſtiſſime feciſſe, qui quosdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt.

PLUTARCHUS

de Prof. in virtute.

Qui vero reipſa proficit, exemplum Hippocratis ſibi imitandum ducet, qui errorem ſuum de ſuturis capitis profeſſus eſt, inque litteras retulit, exiſtimabitque indignum fore, ſi (cum tantus vir, ne alii eodem erroris venirent, ſuam teſtatam fecerit ignorantiam) ipſe ſalutis ſuæ ſtudio non audeat ſtultitiam inſcitiamque ſuam detegere atque confiteri.

PAUSANIAS

Phocic. X.

ROMULO AMASÆO interprete.

Phocenſes ejus fratri Phayllo ſumma cum poteſtate imperium decreverunt. Ei vix dum ad imperandum aggreſſo talis oblata eſt per ſomnium ſpecies. Inter Apollinis donaria pervetus effigies quædam fuit, ex ære, hominis, cui diuturniore morbo carne conſumta, ſola eſſent reliqua oſſa, ajebant Delphi ab Hippocrate medico dedicatam, Huic Phayllus ſe ſimilem factum videre viſus eſt: ac paucis poſt diebus macie contabeſcens ſomnii eventum implevit.

SUIDAS

Lexico.

ÆM. PORTO interprete.

Theſſalus, Cous medicus, illius illuſtris Hippocratis filius, cujus iterum *filii fuerunt* Gorgias & Hippocrates. Scripſit libros de re medica ſex.

Dracon, nepos Hippocratis illius inſignis medici, ex Theſſalo f. pater Hippocratis, ex quo rurſus natus eſt Dracon, & ipſe medicus, qui Rhoxanen Alexandri Macedonis conjugem curavit.

GALENUS

de Vict. rat. in morb. acut. III. 42.

JOA. VASSÆO interprete.

Eraſiſtratus malitioſe ſatis criminatur Hippocratem, diſcipulos ipſius prope accuſans, Appollonium, & Dexippum: quos ait cereos cyathos

duodecim in ſextantali cotylæ cyatho effinxiſſe, atqueunum ex illis, aut duos febrientibus admetiri. Verum Eraſiſtratus de Apollonio quidem & Dexippo mentionem facit, nec ullum eorum librum oſtendere poteſt.

SVIDAS

Lexico.

ÆMIL. PORTO interprete.

Dexippus, Cous, medicus, Hippocratis diſcipulus. Qui arceſſitus ab Hecatomno Carum rege, ut ipſius filios deſperatos, Mauſolum & Pixodarum, curaret, eos ea conditione ſanavit, ut bellum, quod tunc adverſus Caras Coos potius gerebat, deponeret. Scripſit unum medicum librum, & de præcognitionibus duos.

PLUTARCHUS

de Stoic. repugn.

Enimvero nobiliſſimi medicorum teſtimonium Platoni perhibent, Hippocrates, Philiſtio, Dioxippus Hippocraticus.

JOH. MANDEVYLE

de Itinerario cap. 6. De filia Hippocratis *mirabile.*

Exinde itinerando itur ad inſulam de Orccia, & poſtea ad inſulam, quæ Stanco dicitur, & ad inſulam de Lango, de quibus inſulis Hippocrates exſtitit dominus. Et dicitur adhuc, quod in inſula de Lango reſtat adhuc filia Hippocratis, in effigie magni Draconis, qui centum toyſas continet longitudinis, ſicut dicitur (nam ipſe non

vidi) incluſa, quam habitatores dictæ inſulæ vocant Dominam patriæ. Jacet autem in quodam caſtello antiquo: & aliquando oſtendit ſe quibusdam perſonis, eis minime nocendo, niſi eam aliquis læſerit. Fuit autem dicta filia aliquando mutata de pulchra puella in draconem, per unam deiſſam, quæ Diana vocabatur, & dicitur quod aliquando reducetur ad gradum priſtinum, quando videlicet inventus aliquis miles, in tantum audax, quod oſculetur eam ore ad os. Sed quando converſa fuerit in mulierem, non vivet ulterius.

Unde modico tempore tranſacto quidam miles de hoſpitali de Rodes, valens & audax dixit, quod eam deoſcularetur: & adſcendens curſorium ſuum tranſtulit ſe ad dictum caſtrum. Et ingrediendo cavernam Draconis, incepit Draco caput ſuum contra militem erigere. Cernens igitur miles Draconis vultum horribilem, atque terribilem nimis, rediit de caverna: at equus militis horrore tanto perterritus, ſuper ripam altam proſiliens adſcenſorem projecit in mare, & ita cum equo ſuo demerſus interiit.

Iterum juvenis quidam Draconem prædictum ignorans exiens de navi per medium inſulæ incedens, & dictum ingrediens caſtellum, & cavernam Draconis proceſſit ulterius, & in quadam interius caverna vidit puellam capillos capitis parantem præmiſſo ſpeculo ante faciem dictæ domicellæ. Circa quam theſaurus non modicus erat appoſitus. Cogitansque penes ſe credit eam fuiſſe mulierem communem. Exſpectans tandem juvenis, quousque ejus umbram cerneret, puella quæſivit, quis eſſet juvenis ille. Qui reſpondebat, quod intendebat eſſe ſponſatus tam pulchræ puellæ. Quæ quæſivit a juvene, ſi miles eſſet? & reſpondit, non. Quæ dixit, nullo modo amicitiam

eum ab eadem prius ſe obtinere, quousque ordini adſcriptus fuiſſet militari. Et dixit, redeundo ad ſocios tuos facias te militari ordini adſcribi, & cras exeundo cavernam præcedam te, & veniens dabis mihi oſculum, & de turpitudine mea noli terreri, quod non tibi nocebo, & quantumcumque conſpexeris me horribilem, ne timeas, quod per incantationes transfigurationem talem recepi, & deformitatem, quam cernis. Quod ſi oſculari me poteris, theſaurum, quem vidiſti, recipies, & ſponſus meus eris, & iſtius inſulæ dominus. Rediens tandem ad conſocios ſuos, & ordinem aſſumens militarem in craſtinum ad puellam redit cupiens oſculari. Ipſa vero in deformitate horribiliſſima exeunte perterritus fugam cœpit, & usque ad navem properans puella perſequitur, cernensque militem redire ad eam nolle, clamare terribiliter cœpit, & quaſi triſtis ad cavernam ſuam reverſa eſt, & miles in continenti moriebatur: nec auſus fuit quisquam ex illa die dictam puellam adſpicere, quin ſtatim moriatur. Quando vero aliquis fuerit audax eam oſculari, non morietur, ſed convertetur puella in pulchritudinem, & oſculator erit dominus patriæ.

FRAGMENTA
ET ELOGIA,

ex eodem Lindenio *ibid.*

PLATO

Phædro

MARSILIO FICINO interprete.

SOCR. Animæ vero naturam abſque totius natura ſufficienter cognoſci poſſe exiſtimas? *Phæd.* Si Hippocrati Æſculapii ſucceſſori credendum, eſt, neque etiam corporis naturam, ſive doctrinam hujuſmodi comprehendi poſſe putabimus. *Socr.* Scite loqueris, o amice. Oportet autem præter Hippocratem conſiderare, utrum diſputationis nobis ratio conſonet. *Phæd.* Aſſentior. *Socr.* De naturæ igitur perſcrutatione quid Hippocrates, & vera ratio dicat, attende.

IDEM

Protagora.

Dic age, o Hippocrates, ſi ad Hippocratem tibi cognominem Coum illum, Æſculapii ſtirpe natum, proficiſci velles, pro te mercedem erogaturus, & aliquis quæreret, Dic mihi, o Hippocrates, mercedem Hippocrati dabis? Qualinam homini, & cujus ratione? quid reſponderes? *Hip.* Ut medico. *Socr.* Qualis & ipſe futurus, id eſt cujus gratia? *Hip.* Ut medicus evaſurus.

ARISTOTELES

Politic. VII. 4.

Quemadmodum Hippocratem non hominem, ſed medicum quis eo majorem dixerit, qui illum corporis magnitudine ſuperat.

CLEMENS ALEXANDRINUS

Stromat. II.

GENTIANO HERVETO interprete.

Fit autem exercitatio, ex ſententia Coi Hippocratis, non ſolum corporis ſanitas, ſed etiam animæ, impigra laborum ſuſceptio, & non nimia nutrimenti exſaturatio.

IDEM

Stromat. VI.

Quinetiam cum medicus ſcripſiſſet Hippocrates, Reſpicere oportet & tempus, & regionem, & ætatem, & morbos, dicit Euripides in hexametro.

qui volunt mederier,
Ut unaquæque poſcit urbs & incolæ,
Hos terram oportet noſſe, ſic morbo manus demum admovere.

THEODORETUS

de nat. hom. ſerm. V.

JACOBO SIRMONDO interprete.

Quanta item inter eos controverſia ſit in collocanda principaliori animæ vi, facile eſt videre. Hippocrates enim, & Democritus, ac Plato in cerebro ſitam eſſe affirmant.

GREG. NAZIANZENUS

Orat. fun. Cæſarii fratris X. II.

JAC. BILLIO PRUNÆO interprete.

Qui cum ob pudicitiam & temperantiam omnibus charus eſſet, eaque de cauſſa pretioſarum curam ſuſciperet, nec adjuratore Hippocrate ullo modo opus haberet, adeo ut nihil prorſus eſſet Cratetis ſimplicitas, ſi cum illius ſimplicitate conferretur.

ISIDORUS PELUSIOTA

Epiſt. II. 16.

JAC. BILLIO PRUNÆO interprete.

Medicus Hippocrates incurabili morbo correptis manum admovere vetat.

IDEM.

Epiſt. II. 79.

Verum Hippocrati morem gerens, ut incurabili morbo laboranti manum haudquaquam admoves. Quamvis in corporibus verum hoc eſſe quidam exiſtiment (etſi alioqui perſæpe falſum inventum ſit: complures enim medici, admota manu iis, qui incurabili morbo affecti eſſe videbantur, rem ex ſententia geſſerunt) in animis tamen hoc magis adhuc falſum eſſe reperitur.

PLUTARCHUS

de Plac. Philoſ. V. 18.

GUL. XYLANDRO interprete.

Hippocrates dicit, ſi uterus impleatur ſeptem menſibus, tunc fetum ſe exſerere, ac in lucem

edi; quod ſi ſe exſerens non alatur ob umbilici languorem, laborioſe geſtato fetu, tunc eum non nutriri: ſi vero novem menſes in utero maneat, tunc ſe promere, integrumque naſci.

IDEM

l. Non poſſe ſuaviter vivi ſec. Epicuri decr.

Eſt enim, inquit Hippocrates, ad ſummum progreſſa corporis bona affectio periculoſa.

IDEM *ibid.*

Sed, ſicut inquit Hippocrates, e duobus doloribus minorem a majore obſcurari: ſic voluptates etiam corporeæ a voluptatibus agendo & honeſti ſtudio partis ob animi lætitiam ingentem ac incomparabilem obliterantur & extinguuntur.

AUCTOR

Prog. de Decub. ex Mathem. c. 1.

JAC. ANTON. MARISCOTTO

Hippocrates igitur, & vetuſtate admodum notus, & ſcientia admirandus, inquit: Quicumque exercentes medicinam, Phyſiognomoniæ ſunt expertes, horum mens in tenebras devoluta torpet.

AUCTOR

l. de Spermate c. 14. *De Concept. pueri alterata.*

Philoſophi indubitanter aſſerunt, teſte Hippocrate, quod omnis ſubſtantia corporea animata juncta ſit, & ligata in planetis, & ſignis, quatuorque elementorum nexibus.

IDEM

c. 22. De qualit. & efficacia planetarum.

Dicit Hippocrates in Phyſica, quod terra eſt appoſita generare naturam corporum.

IDEM

c. 23. De nat. Conjunct. & adjunct. quatuor elementorum.

Dicit Hippocrates: ſicut nulla ſubſtantia incorporea, habet nutrimentum a differentia corporea, ſic nulla ſubſtantia corporea, poteſt nutriri a differentia incorporea.

SEXTUS EMPIRICUS

adv. Mathem. VII.

Virum autem, hominem: ſpecie abutens pro genere. Speciem namque hominis conſtituit vir. Solet vero etiam Hippocrates hoc loquendi modo uti: ut cum dicit, Mulier ambidextra non naſcitur: hoc eſt, feminæ in dextris partibus uteri non conſiſtunt.

IDEM

Pyrrhon. hypot. I.

Sed & (canis) Hippocraticum præceptum valde bene obſervat. Quum enim pedis medela ſit quies: ſiquidem vulnus in pede habuerit, eum ſublimem ponit, quantumque poteſt, immotum ſervat.

JOH. STOBÆUS

ſerm. CCXLIII. 801.

Cibi, potus, ſomni, venus, omnia moderata ſint, inquit Hippocrates.

IDEM

Serm. XIII. *Apophthegma.*

Hippocrati ſuadebat quis ad Xerxem proficiſci, bonum eſſe regem dicens. At ille, non eſt opus mihi, inquit, bono domino.

ALIUD

Serm. CXCIII.

Verumtamen aliquo opus habet mulier, a quo caſtigetur. Habet enim in natura laſciviam, quæ niſi quotidie amputetur, luxuriatur, & ſilveſcit inſtar arborum.

JOH. TZETZES.

Hiſt. VII. *chil.* cl. 884.

JOH. ANT. VAN LINDEN interprete.

Mœrore quotquot occupantur, quibus & mens labat;
Tum quotquot indomitum furunt, ut Hippocrates notat,
Hominem exuunt, & procul ab hominum notis degunt,
Æque peroſi notos ut vultus incognitos.

JUL. POLLUX

Onom. IX. 6.

RUD. GUALTHERO interprete.

Et ſane, cum Hippocrates inquit, Frigidum infeſtum eſt nervis, oſſibus, dentibus, & cerebro: manifeſtum eſt, quod calida dentibus offerenda ſunt.

NEMESIUS

de nat. hom. c. 2.

Galenus videtur probare magis, animam eſſe temperamentum: id enim ſequitur morum differentia: quod ex Hippocratis dictis confirmare nititur.

IDEM *cap.* 22.

Veteres tamen etiam os ventris cor uſurpant, ut Hippocrates, & Thucydides in deſcriptione peſtis.

ALEXANDER TRALLIANUS

lib. I. *cap.* 16.

JOH. GUINT. ANDERNACO interprete.

Quemadmodum divus Hippocrates ait: Confluxus unus, conſpiratio una, omnia conſentientia.

IDEM VII. 2.

Et, ſiquidem intra thoracem pus illapſum diutius intus manſerit, & non fuerit expurgatum, ut diviniſſimus ait Hippocrates, in phthiſin pervenit.

IDEM IX. 3.

Nam, quæ Hippocraticæ artis methodi vocantur, hæ ſunt: nempe contraria contrariorum ſemper eſſe remedia.

DEMETRIUS PEPAGOMENUS

de Podagra in Proœm.

HADRIANO TURNEBO interprete.

Ut diu multumque recuſare non potuerim, cum præſertim ſcirem, quæ maximus omnium

magiſter Hippocrates dicat, Naturæ a naturis multum differunt, & a locis loca.

ATHENÆUS

Deipnoſ. II. 7.

JAC. DALECHAMPIO interprete.

Vinum ſubdulce caput non gravat, inquit Hippocrates lib. de rat. victus, quem quidam inſcripſerunt de morbis acutis, alii vero, Adverſus Cnidias ſententias. Ejus hæc verba ſunt: Vinum dulce capiti grave minus eſt, quam vinoſum, mentemque minus tentat; per inteſtina citius meat, & excernitur alio quovis.

IDEM *ibid.*

Hippocrates leviorem ſemper illam eſſe judicat, quæ promptius incaleſcit ac refrigeratur: malam, qua tardius coquuntur legumina, nimirum quia ſalſa vel nitroſa ſit. Idem Auctor lib. de Aquis, optimam eſſe ſtatuit multum exercitatam, & agitatam, noxias autem reſides & pigras, quales ſunt paludum, & ſtagnorum: præterea fontium aquas eſſe maxima ex parte duriores.

Et Mox.

Hippocrates libro de locis optimam eſſe aquam pronunciat e locis ſublimibus, & aridis tumulis profluentem, ut quæ candida ſit, dulcis, nec limi trahere multum poſſit, & æſtate frigida, hyeme tepeat. Idem aquam maxime laudat, cujus procurſus orientem ſolem verſus erumpit, præſertim æſtivum, quia levis, limpida, & naribus grata ſit.

IDEM

IDEM *l.* II. 16.

Hippocrates vero Coccalos, in lib de Ptiſana, cujus pars dimidia ſpuria eſt, &, ut quidam cenſent, totum opus.

IDEM *l.* IX. 13.

ψοῶν quoque meminit ſanctiſſimus Hippocrates.

ORIBASIUS

ad Aph. II. 28.

Novenarius, qui criticus ſine dubio eſt, a Galeno non immerito additus eſt: non quod ab Hippocrate hoc ignoratum ſit (nihil enim in hominis natura tantum philoſophum latuit) ſed quod inter cætera ab eo prætermiſſum ſit. Non enim quidquid prætermittitur, etiam ignoratur.

THEOPHILUS

de Vrinis

FED. MORELLO interprete.

Ergo primum aggrediamur optimæ ſubſtantiæ præparationem. Optimum autem eſt a ſapientiſſimo Hippocrate hanc ordiri.

A. CORN. CELSUS

de Med. l. I. *præf. p. Edit. Linden.* 17. *l.* 28.

Ergo etiam vetuſtiſſimus auctor Hippocrates dixit, mederi oportere, & communia, & propria intuentem.

IDEM

l. II. *præf.* *p.* *Edit.* *Linden.* 41. *l.* 23.

Inſtantis autem valetudinis ſigna complura ſunt: In quibus explicandis non dubitabo, auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis; cum recentiores quoque medici, quamvis in curationibus mutarint, tamen hæc illum optime præſagiſſe fateantur.

IDEM II. *c.* 14. *p.* 88. *l.* 7.

Neque dubitari poteſt, quin latius quidem, & dilucidius, ubi, & quomodo frictione utendum eſſet, Aſclepiades præceperit: nihil tamen reperit, quod non a vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum ſit; qui dixit: Frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus: ſi leni, molliri: ſi multa, minus: ſi modica, impleri.

IDEM

VIII. 15. *p.* 549. *l.* 18.

Multas eſſe alias rationes, ſcire facile eſt, uno Hippocrate lecto; ſed non alia magis uſu comprobata eſt.

IDEM

VIII. 20. *p.* 554. *l.* 4.

Sed Hippocrates, & Diocles, & Philotimus, & Nileus, & Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores.

APULEJUS.

Aſclepiades ille, inter præcipuos Medicorum, ſi unum Hippocratem excipias, cæteris princeps.

CÆLIUS AURELIANUS

Acut. morb. I. 12.

Hippocrates igitur ſolum nomen videtur tetigiſſe paſſionis, libro quem de ptiſana ſcripſit; item libro prædictivo, quem prorrheticum appellavit; nam curationem nullam tradidit.

IDEM

Acut. morb. III. 15.

Item Hippocrates magis phreneticos memoravit, non hydrophobos, parvibibulos. Nam inquit, eos, quod in quibusdam phreneticis frequentare videmus, aut faſtidio poſſeſſos, non ſolum cibum, verum etiam potum refugere: vel certe traductos viſis, quæ Græci phantaſiam appellant (ut ait Eudemus) ut accipiendum non exiſtiment potum: vel ſuſpicione delirationis affecti, admixta putent venena liquori.

IDEM

Tard. paſſ. II. I. *qua de Paralyſi.*

Veterum autem Medicorum Hippocratis, atque Herophili ſectatores memorant ea, quæ in paſſione conſtitutos ſequuntur, curationem vero nullam tradiderunt.

IDEM *Tard.* II. 10.

Alii vero eruptiones, ut Hippocrates, Eurypho. Sed Hippocrates ſolarum venarum, Eurypho vero etiam arteriarum.

IDEM *Tard.* V. I.

Utilem inquit Hippocrates iſchiadicis dyſenteriam. Habet enim imitationis quiddam recorporationis faciundæ, quamquam plurima vexatione corpus afficere videatur.

SORANUS EPHESIUS

Præf. in Iſag. Art. med.

Medicinam quidem invenit Apollo, amplificavit Æſculapius, perfecit Hippocrates; quem mihi hominis ducem, & judicem omnium cauſſarum, & quæſtionum oportet accipere, tamquam parentem, & inventorum omnium bonorum operum; per quem Logica nobis, juxta rationem, eſt facta traditio, & tamquam viſibilis facta doctrina; ut per eam meliores fiant & acutiores, qui introducuntur ad medicinam, quos Græci εἰσαγομένους appellant.

IDEM

Iſag. Art. med. c. 14.

Hippocrates quoque ait: Medici quidem fama multi, ſed opere valde pauci. Vult enim Hippocrates, & præterita medicos cognoſcere, & præſentia ſcire, & futura prædicere.

PLINIUS VALERIANUS

de Re med. IV. 17. 20.

Suffito allio feminarum ſecundas evocari Hippocrates auctor eſt. Porro capitato ad multa corporis vitia Hippocrates uſus eſt.

OCTAVIUS HORATIANUS

ad Euporiſt. II. 7.

De his igitur Hippocrates noſter, hujus profeſſionis auctor, ſic ſua ſententia judicavit. Apoplecticos, inquit, graviter occupatos, nullo penitus pacto curari poſſe; leviores autem, licet difficile, liberari.

ad Euſeb. fil. IV.

Hippocrates quem primarium medicorum appellamus.

Et Mox.

Ut beatiſſimus Hippocrates affirmat.

GARIOPONTUS

III. 43.

Hoc enim noſtri Hippocratis docuit auctoritas, quia nervorum cauſſis omnia ſemper frigida nocuerunt.

IDEM VI. II.

Similiter decimum diem Hippocrates omnium peritiſſimus in uno tantum invenit criticum, & ideo etiam ipſum incertum obſervamus.

CICERO

de Orat. III. 33.

An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur.

de Nat. Deor. III. 38.

Nec ego multorum ægrorum ſalutem non ab Hippocrate, quam ab Æſculapio datam judico.

ad Attic. XVI. 15.

Sed deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam.

L. A. SENECA

Epiſt. XCV.

Maximus ille medicorum, & hujus ſcientiæ conditor feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ jam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. Non mutata feminarum natura, ſed vita eſt: nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum virilium vitia æquaverunt: Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo, & mero viros provocant: æque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æque nivem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis. Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum, ac naturæ peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot feminæ podagricæ, calvæque ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt; & quia feminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.

IDEM

de Brevit. vitæ c. I.

Maximi medicorum exclamatio eſt, Vitam brevem eſſe, longam artem.

IDEM *ibid.*

Itaque alia eſt Hippocratis ſecta, alia Aſclepiadis, alia Themiſonis.

PLINIUS

Hiſt. nat. VII. 51.

Jam ſigna lethalia: in furoris morbo riſum: ſapientiæ vero ægritudine, fimbriarum curam, & ſtragulæ veſtis plicaturas, a ſomno moventium neglectum, præfandi humoris e corporibus effluvium: .... quæque alia Hippocrati principi medicinæ obſervata ſunt.

IDEM

Hiſt. nat. XXIX. I.

Diis primum inventores ſuos adſignavit, & cælo dicavit: nec non & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æſculapium fabulata, quoniam Tyndaridem revocaſſet ad vitam. Nec tamen ceſſavit narrare, alios revixiſſe opera ſua, clara Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen duntaxat remediis. Sequentia ejus (mirum dictu) in nocte denſiſſima latuere usque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in inſula Coo, in primis clara, ac valida, & Æſculapio dicata. Is cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.

TERTULLIANUS

l. de Anima c. 15.

Sed plures .... Medici adverſus Andream, & Aſclepiadem, Herophilus, Eraſiſtratus, Diocles, Hippocrates, & ipſe Soranus .... & eſſe principale in anima, & certo in corporis receſſu conſecratum. Si enim ſcrutatorem, & diſpectorem Cordis Deum legimus .... ſimul utrumque dilucet, & eſſe principale in anima, quo intenſio divina conveniat, id eſt, vim ſapientialem, atque vitalem; quod enim ſapit, vividum eſt; & in eo theſauro corporis haberi, ad quem Deus reſpicit, ut neque extrinſecus agitari putes principale iſtud ſecundum Heraclitum .... neque in cerebro cubare ſecundum Hippocratem.

AUGUSTINUS

de Civ. Dei v. 2.

Cicero dicit, Hippocratem nobiliſſimum medicum ſcriptum reliquiſſe, quosdam fratres cum ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur, geminos ſuſpicatum. Quos Poſſidonius Stoicus multum Aſtrologiæ deditus, eadem conſtitutione aſtrorum natos, eademque conceptos ſolebat aſſerere. Ita quod medicus pertinere credebat ad ſimillimam temperiem valetudinis; hoc philoſophus aſtrologus ad vim, conſtitutionemque ſyderum, quæ fuerat quo tempore concepti natique ſunt. In hac cauſſa multo eſt acceptabilior, & de proximo credibilior conjectura medicinalis: quoniam parentes ut erant corpore affecti dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut conſecutis ex materno corpore

prioribus incrementis paris valetudinis naſcerentur: deinde in una domo eisdem alimentis nutriti, ubi aerem, & loci poſitionem, & vim aquarum plurimum valere ad corpus, vel bene vel male accipiendum medicina teſtatur, eisdem etiam exercitationibus aſſuefacti, tam ſimilia corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum uno tempore eisdemque cauſſis ſimiliter moverentur. Conſtitutionem vero cæli, ac ſyderum, quæ fuit, quando concepti, ſive nati ſunt, velle trahere ad iſtam ægrotandi parilitatem, cum tam multa diverſiſſimi generis animalia diverſiſſimorum affectuum, & eventuum eodem tempore in unius regionis terra eidem cælo ſubdita, potuerunt concipi, & naſci: neſcio cujus ſit inſolentiæ. Nos autem novimus, geminos non ſolum actus, & peregrinationes habere diverſas, verum etiam diſpares ægritudines perpeti. De qua re faciliimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates, diverſis alimentis, & exercitationibus, quæ non de corporis temperatione, ſed de animi voluntate veniunt, diſſimiles eis accidere potuiſſe valetudines.

CYPRIANUS

Epiſt. lxxvi.

Porro autem, quod quidam eos ſalutari aqua, & fide legitima Chriſti gratiam conſecutos, non Chriſtianos, ſed Clinicos vocant, non invenio, unde hoc nomen aſſumant; niſi forte qui plura, & ſecretiora legerunt apud Hippocratem, vel Soranum, κλινικοὺς iſtos deprehenderunt.

POLLUX

Onom. II. I.

RUD. GUALTHERO interprete.

Septem ſunt ætates ſecundum Hippocratem. Prima, ab anno primo ad ſeptimum. Secunda, a ſeptimo ad decimumquartum annum. Tertia, a decimoquarto usque ad viceſimum primum. Quarta, a viceſimoprimo usque ad viceſimum octavum. Quinta, a viceſimo octavo ad triceſimum quintum. Sexta, a triceſimo quinto ad quadrageſimum ſecundum. Septima, a quadrageſimo ſecundo ad quadrageſimum nonum. Prima quidem, Puerulus: ſecunda, Puer: tertia, Adoleſcens: quarta, Juvenis: quinta, Vir: ſexta, Senex: ſeptima, Decrepitus dicitur.

MARTIALIS

Epigr. IX. 96.

DE HIPPOCRATE.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga:
Os hominis, mulſum me rogat Hippocrates.
Tam ſtupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuiſti,
Chalcea donanti Chryſea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poſcit amaro?
Accipiat, ſed ſi potat in helleboro.

INCERTI AUCTORIS.

GALENUS.

Dempſeris Hippocratem, medicorum primus habebor.
Debeo multa illi, debet & ille mihi.

Nam, quæ nota parum reliquis dedit, omnia feci
Mille libris claro lucidiora die.

IDEM.

Hippocratem magnum brevis inſula, me dedit ingens
Terra Aſiæ, plus nos ſcripſimus, ille minus:
Ille elementa dedit, nos inde exſtruximus aram,
Quam ſervat medici præſul Apollo chori.

In Iconem HIPPOCRATIS.

ex Floril. Epigr. ſect. IV. *cap.* XIII.

SYNESII SCHOLASTICI.

Unde is, qui poſuit? quo nomine? Byzantinus
Euſebius. Tu quis? Coius Hippocrates.
Quare is te pinxit? Pro verbis patria munus
Picturæ noſtræ grata rependit ei.
Et cur ille ſuam non protulit icona? Majòr
Illi honor eſt proprio prætetuliſſe meum.

INCERTI.

Vel vocem Pæan tibi finxit vel medicinæ
Illius teſtis magnus es, Hippocrates.
J. Ant. Vander Linden.

ANONYMI.

Ille vias meruit tectas aperire medendi,
Ille hominum Pæan Coius Hippocrates.
J. Ant. Vander Linden.

AMBROSIUS

Epiſt. VII. 39.

Celebretur itaque hebdomas, eo quod per ſeptem ætatum curſus vita hominum usque ad ſenectutem tranſcurritur, ſicut Hippocrates medicinæ magiſter ſcriptis explicuit ſuis. Prima ætas infantia eſt, ſecunda pueritia, tertia adoleſcentia, quarta juventus, quinta virilis ætas, ſexta ævi maturitas, ſeptima ſenectus. Eſt ergo infans, puer, adoleſcens, juvenis, vir, veteranus, ſenex. Ergo Hippocrates vel ſeptem ætates, vel hebdomadas ætatum norit, in illis ſe hebdomadas præferet.

MACROBIUS

in Somn. Scip. I. 6.

Hoc cum a Phyſicis deprehenſum ſit, Hippocrates quoque ipſe, qui tam fallere, quam falli neſcit, experimenti certus aſſeruit, referens in libro, qui de natura pueri inſcribitur, tale ſeminis receptaculum de utero ejus ejectum, quam ſeptimo poſt conceptum die gravidam intellexerat. Mulierem enim ſemine non eſſuſo, ne gravida maneret, orantem, imperaverat ſaltibus concitari; aitque ſeptimo die ſaltum ſeptimum ejiciendo cum tali folliculo, qualem ſupra retulimus, ſufficiſſe conceptui: Hæc Hippocrates.

A. GELLIUS

Noct. Attic. III. 16.

Menſe nonnunquam octavo editum eſſe partum M. Varro in lib. XIV. rerum divinarum ſcriptum reliquit. Quo in libro, undecimo menſe aliquando naſci poſſe hominem dicit. Ejusque

ſententiæ, tam de VIII quam de XI menſe Ariſtotelem laudat auctorem. Sed hujus de menſe VIII diſſenſionis cauſſa cognoſci poteſt in libro Hippocratis, qui inſcriptus eſt περὶ τροφῆς; Ex quo libro verba hæc ſunt: ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις. Id tam obſcure, atque præciſe, tamque adverſe dictum Sabinus medicus, qui Hippocratem commodiſſime commentatus eſt, his verbis enarravit: ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, οὐκ ἔστι δὲ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστιν οὖν φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι.

Et poſtea.

Hippocrates autem in eo libro, de quo ſupra ſcripſi, cum & numerum dierum, quibus conceptum in utero coagulum conformatur, & tempus ipſius partionis nono aut decimo menſe definiſſet: neque id tamen ſemper eadem eſſe fini dixiſſet, ſed alias ocyus fieri, alias ſerius; hiſce ad poſtremum verbis uſus eſt: γίνεται δὲ ἐν τούτοις καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλον κατὰ μέρος, καὶ ἔποιμεν δὲ καὶ πλείω πλειόνων, καὶ ἐλάσσω ἐλασσόνων. Quibus verbis ſignificat, quod aliquando ocyus fieret, non multo tamen fieri ocyus: neque quod ſerius, multo ſerius.

CENSORINUS

de Die natali c. 6.

Nec Hippocrates Cous decimo partum poſſe fieri contendit.

IDEM *cap.* II.

Hippocrates quoque, aliique medici in corporum valetudinibus non aliud oſtendunt.

IDEM *cap.* 14.

Hippocrates medicus in ſeptem gradus ætates diſtribuit: finem primæ putavit VII annum; ſecundæ XIV, tertiæ XXIIX, quartæ XXXV, quintæ XLII, ſextæ LVI, ſeptimæ noviſſimum annum vitæ humanæ. Solon autem partes fecit decem; & Hippocrates gradum tertium, & ſextum, & ſeptimum, ſingulos bifariam diviſit; ut unaquæque ætas annos haberet ſepteros.

JUS CANONICUM

III. *Decret. ex Hieronymi adverſus Jovinianum lib.* II. *diſt.* V. *c.* 29. *Ne tales.*

Hippocrates in aphoriſmis docet, craſſa, & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleverint, niſi cito ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſin, & peſſima morborum genera erumpere: & idcirco eſſe neceſſariam demptionem, ut rurſus habeant, in quæ poſſint creſcere; non enim manere in uno ſtatu naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper, aut decreſcere, nec poſſe vivere animal, niſi creſcendi capax ſit.

PAULUS Ictus

l. II. *ff. de Statu hominum.*

Septimo menſe naſci perfectum partum, jam receptum eſt propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis; & ideo credendum eſt, eum, qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum filium eſſe.

ULPIANUS Iᶜᵗᵘˢ

l. 3. §. 12. *ff. de Suis, & legit. hær.*

De eo autem, qui centeſimo octogenteſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & D. Pius Pontificibus reſcripſit, juſto tempore videri natum, nec videri in ſervitutem conceptum, cum mater ipſius ante centeſimum octogenteſimum ſecundum diem eſſet manumiſſa.

BARTOLUS Iᶜᵗᵘˢ

l. III. *ff. Si certa pet.*

Standum eſt libris Hippocratis tamquam authenticis.

CONSENTIENTIA,

EX

GALENO.

GENUS.

l. de Articul. IV. 42.

VIDO VIDIO interprete.

HIPPOCRATES, quemadmodum & Cteſias Cnidius cognatus ejus, genere Aſclepiades erat.

l. de Victu in morb. acut. II. 18.

JO. VASSÆO interprete.

Loquor autem de Hippocrate Heraclidæ filio, qui librum hunc confecit. Nam avus ipſius

Gnoſidici filius Hippocrates, quorumdam judicio, nihil omnino ſcripſit.

l. I. *Prorrhetic.* III. 18.

JO. VASSÆO interprete.

Duo magni Hippocratis filii fuiſſe perhibentur, Draco, & Theſſalus: quorum utriusque rurſum filius Hippocrates.

l. de Reſpir. diffic. II. 18.

JANO CORNARIO interprete.

Quintus vero Epidemiorum non magis Hippocratis, Heraclidæ filii, ſed junioris filii Draconis eſt.

l. de Nat. hum. I. I.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Theſſalus illius filius, vir & ipſe admirabilis: is tamen in patria non eſt, ut Polybus, diu moratus: Archelao etenim Macedoniæ regi adhæſit.

l. III. *Epidem.* II. *init.*

HERM. CRUSERIO interprete.

Erat ille Hippocratis filiorum clariſſimus, Theſſalus nomine, qui exacte ſententiam patris eſt æmulatus.

PATRIA, HABITATIO.

l. de ſanit. tuenda II. 7.

THO. LINACRO interprete.

Optime temperata eſt Hippocratis patria: etenim ea tum hyeme, tum æſtate mediocrem temperiem exhibet.

l. de

l. de Articul. I. 22.

VIDO VIDIO interprete.

Eſt autem Smyrna urbs multo major illa, cujus ubique meminit Hippocrates, ut qui plurimum in ea verſaretur.

in l. de Artic. I. 23.

VIDO VIDIO interprete.

Urbes, quarum meminit Hippocrates, ubi diutius egit, non plures incolunt, quam Romæ vicum unum.

ÆTATIS,

ſeu ſeculi mos.

l. de Artic. I. 22.

VID. VIDIO interprete.

Hippocratis ſeculo medici optime artis præcepta diſcebant, atque ea præſertim, quæ ad manus operam pertinent: ea nunc a medicis vel nullo modo addiſcuntur, vel certe exiguo temporis ſpatio.

l. Quod opt. med. ſit philoſ.

LUD. BELLISARIO interprete.

Noſtræ ætatis medici ita a ſtudio rationalis medicinæ averſi ſunt, ut eos etiam, qui in ea re operam conſumunt, quaſi inutilia tentantes, reprehendant.

LINGUA

l. de Humor. I. 2. *f.*

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Atticorum lingua Hippocrates aliqua ex parte utitur.

in l. de Fractur. I. I.

VID. VIDIO interprete.

Atticis enim hoc prorſus eſt uſitatum, quorum linguam Hippocrates aliquantum uſurpat, ita ut ejus ſermo a nonnullis priſcus Atticus exiſtimetur. Nos autem in alio parvo libello, quid de ſermone Hippocratis judicemus, ſeorſum demonſtravimus.

PHRASIS

in l. III. *Epidem.* III. 32.

HERM. CRUSERIO interprete.

Non eſt Hippocratis inſtitutum, inuſitatis, & infrequentibus uti nominibus.

ibidem, initio.

Etenim Hippocrates, cujus etiam Aphoriſmos eſſe, & Præſagia autumant, uſitatiſſimis eſſe uſus, & proinde claris vocabulis videtur, quæ vocare rhetorici civilia ſolent.

l. Expoſ. obſolet. voc. Hipp.

MARIO NIZOLIO interprete.

Sic & Hippocrates ex nominibus, quæ uſitata non ſunt, aliqua adſumit, aliqua & ipſe facit, aliqua autem novis adjunctis ſententiis mutat.

in l. de Offic. med. II. 23.

VIDO VIDIO interprete.

Quod ab Hippocrate effertur, præciſe dicitur, niſi quid aliud ſubintelligitur.

in lib. Aphor. VII. 63.

NIC. LEONICENO interprete.

Dicta Hippocratis exquiſita ſunt.

in l. de Artic. I. 69.

VIDO VIDIO interprete.

Solet Hippocrates quasdam figuras, ac linguarum proprietates uſurpare, quamvis conſuetam locutionem ſequatur.

in l. Aphor. VI. 58.

NIC. LEONICENO interprete.

Commune huic cum aliis ab Hippocrate dictis, ut perpetuum quiddam ex figura dictionis oſtendatur; quamvis res ipſæ non ſemper eodem modo eveniant; ſed, licet raro, interdum etiam aliter eveniant.

l. de Comate cap. 3.

AUG. GADALDINO interprete.

Somnolenta tentabo diſtinguere, ut poſſis invenire dictam ab Hippocrate differentiam. Non enim vir iſte erat eorum, qui vane imponunt nomina; neque ſtulte adjicit cataphoræ, pigra: neque dicit, ſicut Homerus, lac album; ſed

unumquodque vocabulum, & ſyllaba omnis rem aliquam ſignificat apud eum.

in lib. de Vict. acut. IV. 67.

JO. VASSÆO interprete.

Dictio, quæ ſymptomatum multorum, quæ non in omni ægro coeunt, & conveniunt, complicationem habet, utilis eſt; cum doctrina ab univerſalibus recipiat commoditatem: quo Hippocrates modo facere conſuevit.

in lib. de Vict. acut. IV. 10.

JO. VASSÆO interprete.

Legitimi appellationem ſecundum morborum ideas inferre conſueverunt cum alii medicorum probatiſſimi, tum Hippocrates ipſe.

SCRIBENDI MOS

in l. VI. *Epid.* I. 3. *f.*

JUN. CRASSO interprete.

Hippocrates ſibi ipſi, ut memoriæ ſubveniret, nonnulla ſcripſit, prout unumquodque aut experientia comprehendiſſet, aut rationali meditatione excogitaſſet.

in l. I. *Epid.* 37.

HERM. CRUSERIO interprete.

Solet Hippocrates frequenter antedicta in ſummam colligere.

in l. de humor. I. 7.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates omnibus in locis adferre demonſtrationes conatur.

in l. de Nat. hum. I. 9.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Semper ſane Hippocrates ea ſectatur, quæ evidentia ſunt.

in lib. de Nat. hum. II. 7.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Hippocratem videmus non modo omnia ad amuſſim in commentarios retuliſſe, quæ cunctis plane conſpicua ſunt; verum etiam ea, quæ ad videndum ſunt difficiliora.

l. de diffic. Reſpir. II. 8.

JANO CORNARIO interprete.

Hippocrates nihil eorum, quæ etiam aliis manifeſte cognoſcuntur, ſcribit.

l. de Dieb. decret. II. 13.

JO. GUINTHERIO interprete.

Hippocrates aliquando ſolum id, quod creberrime oculis uſurpatum eſt, nihili faciens, id quod raro evenit, pronunciat.

l. de Venæſ. adv. Eraſiſtratæos, c. 4.

JOS. TECTANDRO interprete.

Hippocrates cum in plurimis ſuis operibus brevitati ſummopere ſtudeat, tamen quod ad venæ

ſectionem attinet, non eſt gravatus ſcribere, tum partem corporis, in qua ſecari vas oporteat, tum evacuationis menſuram, una cum occaſione ipſa.

l. de Offic. med. III. 8.

VIDO VIDIO interprete.

Hippocratis mos eſt, ex unius, vel alterius rei exemplo res univerſas complecti, quum id, quod proponitur evidentia antecellit ea, quæ ſunt ejusdem generis, ſic ut ex ipſo intelligantur.

l. de Elem. I. 3.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Hippocrates ſi aliquando unum quippiam ex eorum numero proferat, quæ eandem naturam continent, reliqua deinde, quæ eandem vim habent, nobis ad rationem addenda relinquit.

l. I. Prorrhet. III. 7.

JOH. VASSÆO interprete.

Medicinalis ſpeculationis doctrina ab Hippocrate in legitimis omnibus libris per univerſalia facta eſt, expromente etiam aliquando particularia quædam, gratia exempli, ad eorum, qui diſcunt, perſpicuitatem.

l. Aphoriſ. VI. 25.

NIC. LEONICENO interprete.

Videtur Hippocrates dixiſſe multa veluti exempla ſermonum univerſalium, a quibus ejus, quod ſolet evenire, experientiam poſſumus habere maniſeſtiorem. Talia etenim exempla oportet eſſe.

l. de Diff. reſp. II. 8.

JANO CORNARIO interprete.

Hippocrates, quum conſuetæ ſpecies ſymptomatum exſtiterint, tunc ſane ſolo univerſali morbi nomine contentus eſt; quum vero aliquid ex variis incidit, poſt univerſalem & communem totius morbi appellationem, ſtatim illud ipſum diſcriminat.

l. de Fractur. II. 71.

VIDO VIDIO interprete.

Solet Hippocrates, ubi de una ſpecie pertractat, complura docere ex iis, quæ communia ſunt, ac generalia, monens ea non eſſe propria unius ſpeciei, ſed ad omnes, vel multas, vel aliquot pertinere.

l. de Artic. II. 35.

VIDO VIDIO interprete.

Conſuetudo ex Hippocratis in iis præceptis, quæ ſingulis communia ſunt, cum ſemel unius mentionem facit, exponere vim rei communem eſſe omnium ſimilium.

l. de Diffic. reſpir. II. 7.

JANO CORNARIO interprete.

Exiſtimant veteres, omnia quæ ægris contingunt, Hippocratem conſcribere, velut Thucydidem: verum res non ita habet; ſed hoc ipſum eſt, in quo vel maxime contraria ſunt Hippocratis, & Thucydidis ſcripta. Thucydides enim omnia ſcribit, etiam idiotis nota, nihil ipſorum penitus prætermittens. Hippocrates vero pauca ex iis,

quæ ad totam adfectionem pertinent, circa quam ægrotus eſt periclitatus: multa vero alia ab idiotis quidem neglecta, artificioſam vero, & exactam cognitionem exhibentia, & quæ optimos medicos ſæpe latere poſſunt.

Et mox.

Thucydides quidem, quæ circa ægros contingunt, velut idiota idiotis conſcripſit; Hippocrates vero ut artifex artificibus.

in l. de Victu acut. II. 18.

JOH. VASSÆO interprete.

Medicos culpat Hippocrates, qui languentes ipſos in abſoluta ciborum abſtinentia ſervant; non tamen mentionem eorum facit, qui cibos validiores ante morbi concoctionem miniſtrant. Conſuevit ſiquidem interdum, prætermiſſis, quæ maxima ſunt, erratis, culpare minora; & eam quæ ex illis oritur, demonſtrare offenſam.

l. de Diff. reſpir. II. 8.

JANO CORNARIO interprete.

Hippocrates, cum breviloquus ſit, hunc morem habet, ut ad unum nomen, & caput partialia ſemper reducat. Neque veriſimile eum in præſenti fortuito ſcribere, qui haud unum aliquod temere ſcribat.

DOCTRINA.

in l. de Alim. III. 21.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates cum in aliis rebus omnibus ornandus eſt laudibus, tum vel maxime in hoc,

quod cenſet, usque eo progredi medicum oportere, quousque pervenire ipſius ars poteſt.

in l. de Vict. acut. I. 17.

JOH. VASSÆO interprete.

Ob id juſte venit laudandus Hippocrates, qui de ſola ſecundum rei veritatem meminit controverſia; quam, qui aliquam conſtituere artem volunt, patiuntur, cum ſecum, ſuoque in animo differenter opinantur, & non verbo tenus ſimulate, ac ſubdole id agunt, ob gloriæ, vel lucri cupiditatem.

in lib. de Humor. I. 7.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates, vir admirabilis, multa potius experientia, quam ratione videtur cognoviſſe.

in l. de Artic. I. 3.

VIDO VIDIO interprete.

Hippocrates, cum quid nunquam vidit, commentitias cauſſas ſcribendas eſſe minime credidit, ubique magis fide dignum exiſtimans, quod evidenter apparet, quam quod a ratione ducitur. Sic &, quæcunque ipſe ad curationem excogitavit, priusquam nos doceat, experimento comprobat; non, ſicut nonnulli ex junioribus medicis, qui in ſcriptis de ratione medendi nobis ea imperarunt, quæ ipſi nunquam ante ſunt experti.

in l. Prorrh. III. 33.

Videtur Hippocrates ex multa experientia, quam ex particularibus ſibi fecit, univerſalia collegiſſe.

l. de Dieb. decret. II. 14.

JO. GUINTHERIO interprete.

Hippocrates non ratione quadam perſuaſus decimum ſeptimum decretorium eſſe ſtatuit, vigeſimo autem primo efficaciam ademit, ſed uſu, & experientia doctus.

in l. Aph. I. 15.

NIC. LEONICENO interprete.

Verum eſt, quod quidam hyeme non modo melius concoquunt cibum, ſed etiam quod pauca adſumentes refrigerantur, atque ideo offenduntur: ſi vero plura adſumſerint, in nullos plethoricos morbos incidere, ipſe eventus oſtendit manifeſte. Cujus cauſſæ inquiſitio cum omnes fatiget, tu animadverte, numquid hac in parte aliis quidem omnibus ratio ſit inexplicabilis, ſoli vero Hippocrati, atque ejus ſectatoribus explicabilis.

INVENTA.

in l. de Humor. II. 20.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates omnium bonorum inventor.

l. de Criſib. III. II.

NIC. LEONICENO interprete.

Hippocrates nobis omnium fuit dux, atque auctor optimarum diſciplinarum.

l. Quod Animi mor. 7. f.

JUN. PAUL. CRASSO interprete,

Sed ad divinum Hippocratem medicorum omnium, philoſophorumque primum huiuſce contemplationis inventorem accedere licet.

in l. de Humorib. I. I.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates princeps omnium eorum, quorum nomen fama ad nos pertulit, principia demonſtrationum, quibus poſtea Ariſtoteles uſus eſt, ipſe prior monimentis mandavit litterarum.

in l. Aphoriſm. IV. 76.

NIC. LEONICENO interprete.

In his itaque, ſicuti & in aliis, Hippocrates dignus eſt admiratione, cum ipſe eorum inventor exſtiterit, quæ ne pluribus quidem medicis ad hunc usque diem fuere comperta.

l. de Arte cur. ad Glauc. I.

NIC. LEONICENO interprete.

Artifex plus aliquid, quam ii, qui arte carent aſſequitur. Quid vero hoc ipſum plus ſit, primus omnium quos novimus, & hoc memoravit Hippocrates.

l. de Dieb. decret. II. 2.

JO. GUINT. ANDERNACO interprete.

Pulchrum omne, & ordinatum, & artificioſum ex ſupernis innaſci; inordinatum contra, &

erraticum ex materia, quæ hic verſatur, provenire, primus omnium, quorum memoria ad nos pervenit, græcorum Hippocrates credidit; poſt eum philoſophorum præcipui.

l. de Elem. I. 9.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Primus profecto omnium Hippocrates videtur naturæ rerum omnium elementa excogitaſſe, atque, quantum ſatis eſſe poſſit, demonſtraſſe.

l. de Nat. facult. I. 2.

THO. LINACRO interprete.

Hippocrates primus omnium tum medicorum, tum philoſophorum, quorum utique fama ad nos pervenit, demonſtrare tentavit, quatuor eſſe omnes, quæ mutuo in ſe agerent, qualitates: a quibus quæ genitum, interitumque agnoſcunt, omnia gignantur, ac perimantur. Quin etiam miſceri eas mutuo totas per totas, primus omnium, quorum fama ad nos percrebuit, Hippocrates novit: principiaque demonſtrationum, quas Ariſtoteles poſtea pertractavit, ſcripta apud eum priorem invenias.

in l. de Alim. III. 22.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocrates ut qui primus Naturæ opera novit, hanc admiratur, & perpetuo prædicat, & juſtam nominat, & ſolam animalibus ad omnia ſufficere dicit, & ipſam ex ſe ſine doctore, quæ opus ſunt, efficere.

l. Meth. med. I. 2.

THO. LINACRO interprete.

Audiſti Platonem ſimili methodo Animæ naturam inveniendam eſſe cenſere, qua corporis naturam Hippocrates. An adhuc vis, multas hominis dictiones ex multis librorum ejus locis deligam, in quibus ille Hippocratem omnium, qui ante ſe fuerunt, maxime admiratur?

l. Quod an. mores. c. 8. *f.*

JUN. PAULO CRASSO interprete.

Hippocrates primus conſuetudini, quæ poſtea increbuit, initium dedit, omnium, quisquis eſſet, arteriarum motum, pulſum nominans.

l. de Format. fet. c. I.

JOH. BERN. FELICIANO interprete.

Hippocrates primus omnium, quos ſcimus, de Formatione fetuum vera conſcripſit, non ratione tantum nixis opinionibus quæſtionem hanc perſecutus, ſed ſenſui expoſitis evidentiis, atque his non paucis.

l. de Decr. Hipp. & Plat. VIII. I.

JOH. BERN. FELICIANO interprete.

Et Hippocrates, & Eraſiſtratus, Eudemus, Herophilus, Marinus, omnes poſt veterum memoriam diſſectoriam ſpeculationem, negligentia poſteritatis interlapſam, pro ſe quisque reſtituerunt.

l. de Præcogn. ad Poſth. c. I.

JUL. MART. ROTA interprete.

Præcognoſcendi ars ab antiquorum multis, & in primis ab Hippocrate, qui nobis bonorum omnium auctor exiſtit, conſcripta eſt.

l. de Theriac. ad Piſ. c. 4.

JUL. MART. ROTA interprete.

Magiſtrum Hippocratem exactiſſimum medicinarum, ut reliquorum omnium, artificem fuiſſe, multa probant.

in l. VI. *Epidem.* VIII. I.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Quemadmodum Hippocrates bonorum omnium, quæ ad faciendam medicinam, quæque ad morbos cognoſcendos, & cauſſas indagandas pertinent, omniumque, quibus ad tuendam ſanitatem opus eſt, & ad recuperandam eam, quæ jam perdita ſit, inventor fuit: ita etiam ipſe princeps fuit, quem victus rationem recte inſtituiſſe cognovimus.

l. de Hipp. & Plat. decr. IX. 6.

JOH. BERN. FELICIANO interprete.

Atque has utrasque methodos ex omnibus veteribus medicis, & philoſophis pulcherrime, atque optime Hippocrates, & Plato invenerunt, multaque opera ab auctoribus, qui communia a propriis diſtinguere neſciebant, falſo fuiſſe conſcripta, demonſtrarunt.

l. de Temper. II. 14.

THO. LINACRO interprete.

Sane ejuſcemodi ſignorum auctor, æque ut reliquorum omnium; mirus eſt Hippocrates.

in l. III. *Epid.* I. 8.

HERM. CRUSERIO interprete.

Omnium, quæ ad prædictionem, princeps eſt divinus ille Hippocrates.

in l. Prognoſt. III. I.

LAUR. LAURENTIANO interprete.

Ceterum cognovit non primus ſolum, ſed etiam maxime, admirandus Hippocrates decretorium dierum naturam.

l. de Dieb. decret. I. 2.

JO. GUINT. ANDERNACO interprete.

Cum igitur non ſolum mihi, tot annis obſervanti, hujusmodi quædam dierum differentia, ſed Archigeni etiam in artis operibus diligenter admodum verſato, inventa ſit: inſuper hoc ſuperiori Tarentino Heraclidi; qui experientia ſpeculationem collegit; poſtremo etiam Philotimo, & Diocli, aliisque veteribus; tum ante hos univerſos Hippocrati diviniſſimo: quomodo non quis jure in dierum numero differentiam quamdam ſtatuat?

in l. Prorrh. III. 69.

JO. VASSÆO interprete.

Hippocrates quantum ſuperiores ſuos in virium

cujuslibet ſimplicis medicamenti inventione ſuperaverit, in omnibus ſuis libris demonſtratum eſt.

l. de Comp. κ. γένη. IV. 5.

JO. ANDERNACO interprete.

Rite faſciandi primus, quorum ad nos memoria pervenit Hippocrates inventor exſtitit, quum in ea omnes ante ipſum peccarent.

l. Meth. med. VII. 2.

THO. LINACRO interprete.

Cum ab Hippocrate diſceſſeris, qui nobis omnium ſalutarium præceptorum ſemina præbuit, reliquorum certe nemo vel conatus eſt methodo curare. Poſtulant autem, quæ ipſe Hippocrates reliquit, non malos agricolas, qui ea tum ſeminent commode, tum augeant, tum perficiant.

l. Meth. med. IX. 8.

THO. LINACRO interprete.

Hippocrates omnem ad medicationem viam aperuiſſe videtur, ſed ita ut ea curam, & diligentiam ad abſolutionem deſideret.

l. de Atra bile c. I.

BART. SYLVANIO interprete.

Hippocrates primus id, quod ad artis officia pertinet, prodidit.

l. Meth.

l. Meth. med. V. 10.

THO. LINACRO interprete.

Omnium methodorum nobis auctor Hippocrates.

l. Meth. med. IV. 6.

THO. LINACRO interprete.

Hippocrates omnium, quos novimus, primus indicationem adinvenit.

l. Meth. med. XI. 15.

THO. LINACRO interprete.

Hippocrates ab ipſa rei natura idoneum curationis modum invenit.

l. Meth. med. V. 3.

THO. LINACRO interprete.

Nam & hæc, derivatio, & revulſio ſcilicet, Hippocratis quoque inventa ſunt, omnis ſcilicet immodicæ vacuationis communia remedia.

l. de Comp. κ. τόπ. VI. 5.

JANO CORNARIO interprete.

Omnia enim reſpectu ad aliquid, tum emolumentum, tum detrimentum in ſe habent. Quod ipſum etiam cum Hippocrates dixerit primus omnium, quos ſciam, ii, qui poſt ipſum fuerunt, inſequuti ſunt.

l. de Reſp. diff. II. I.

JANO CORNARIO interprete.

Hippocratem inventorem, ac veluti patrem dogmatum venerabimur. Hoc eſt enim juſtum, ſimulque decens præmium eorum, qui quodcumque tandem in vita bonum invenerunt, ut videlicet inventa ipſorum non occultentur, neque hominibus ſint ignota, ſed tum ipſa appareant, tum ratio, & methodus, quæ ipſa invenit, cognoſcatur. Sic enim & pro dignitate ipſos in admiratione conſtitui continget.

DILIGENTIA.

in l. de Alim. III. 25.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hoc autem non omnes medici norunt; cum tamen Hippocrates & hoc ipſum, & alia multa perſpicue docuerit.

l. de Nat. hom. II. 7.

Hippocratem videmus non modo omnia a damuſſim in commentarios retuliſſe, quæ cunctis plane perſpicua ſunt, verum etiam ea, quæ ad videndum ſunt difficiliora.

l. de Dieb. decret. II. 13.

JO. GUINT. ANDERNACO interprete.

Si quid optime dividi poteſt, Hippocrates præter cæteros hoc mihi feciſſe videtur.

l. de Natur. fac. II. 8.

THO. LINACRO interprete.

De ſuccorum generatione, haud ſcio, an aliquis exactius quicquam afferre in medium poſſit iis, quæ Hippocrates, Ariſtoteles, Praxagoras, Philotimus, aliique veterum non pauci reliquerunt.

in l. I. *Prorrh.* II. 40.

JOH. VASSÆO interprete.

In ægris utiliſſimum eſt omnia contemplari, nihilque prætermittere: quod utrumque fecit Hippocrates.

l. de Reſp. diff. II. 3.

JANO CORNARIO interprete.

Apparet enim Hippocrates confeſſione, ac ſuffragio omnium medicorum, ad eorum, quæ ægris accidunt, obſervationem diligentiſſimus fuiſſe.

in l. de Humor. I. 12.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Hippocratis diligentiam tum in aliis rebus omnibus, tum vel maxime in eo commendo, quod ſcopum eum, qui non in uno, alterove morbo ſolum, ſed in omnibus ad purgationem indicandam præſtet cæteris, non omiſerit.

l. Meth. med. IV. 6.

THO. LINACRO interprete.

Hippocratem ſane diligentiæ nomine admiror, cum in aliis omnibus, tum vero quod ſcopum,

qui medico ad indicationem, non in uno, alterove, ſed prorſus omni morbo ſit ſpectandus, non omiſerit.

l. de Decr. Hipp. & Plat. IX. 2.

JO. BERN. FELICIANO interprete.

Hippocrates, & Plato exempla nobis & ad artes, & ad omnes vitæ actiones utilia tradidere.

l. de Atra bile c. 7.

BARTHOL. SYLVANIO interprete.

Hippocrates ergo vir quidam honeſtus bonusque videtur fuiſſe, non honoris, aut gloriæ, ſed veritatis amator.

LAUS.

l. de Hipp. & Plat. decr. IX. 5.

JO. BERN. FELICIANO interprete.

Diocles, Hippocrates, Empedocles, aliique quamplures ex veteribus, humanitate, & benignitate hominibus medebantur.

l. de Subfig. empir. 13.

INCERTO interprete.

His enim officiis Hippocrates omnium poſterorum judicio Æſculapii gloriam adeptus eſt.

l. Defin. medic. c. I.

BARTHOL. SYLVANIO interprete.

Veteres quidem, quique ante Hippocratem fuere, in quorum nos volumina incidimus, nec

aliqua finiverunt, quæ ad artem pertineant, nec libros complures, ſed paucos admodum reliquere. His igitur jure laus debetur, quod animum applicuerint primi, ac vitæ emolumentum aliquod invenire ſtuduerint. Poſt hos vero exortus Hippocrates medicinam literis prodidit: ille nimirum, qui ſemper bonorum auctor, ac princeps fuit.

l. de Decr. Hipp. & Plat. III. 4.

JO. BERN. FELICIANO interprete.

Hippocrates conſenſu omnium medicorum facile princeps.

in l. de Fract. I. I.

VIDO VIDIO interprete.

Magnus Hippocrates maximus inter Græcos habitus eſt auctor, & medicus.

l. de Subſig. empir. c. 13.

INCERTO interprete.

Maximus artis medicæ exornator Hippocrates.

l. de Semine. I. 9.

JOH. BERN. FELICIANO interprete.

Hippocrates in omnibus admirabilis.

l. ad Thraſyb. c. 47.

JUN. PAULO CRASSO interprete.

Hippocrates, & Diocles, Praxagoras, Philotimus, atque Herophilus totam corporis præſidem artem, ut ipſorum teſtantur volumina, callebant.

l. de Dieb. decret. I. 3.

JO. GUINTHERIO interprete.

Hippocrates, vir verax.

l. de Nat. fac. I. 13.

THO. LINACRO interprete.

Dogmata Hippocratis recta, veraque ſunt.

in l. de Victu acut. I. 44.

JO. VASSÆO interprete.

Omnia Hippocratis dogmata veriſſima ſunt.

l. Meth. med. III. 2.

THO. LINACRO interprete.

Noſti quam longo tempore aphor. XXXI lib. VI. conſideraverim, quamque ex reliqua Hippocratis diligentia ſperaverim, ne in hoc quidem vel falſum quippiam, vel quod fieri non poſſit, præcipi: idque fuiſſe quod me ad inquiſitionem incitavit, quoad ipſa Hippocratis inſiſtens via; inveni.

l. de Atra bile c. 5.

BARTH. SYLVANIO interprete.

Qui in artis operibus verſatus eſt, vera dicere Hippocratem affirmabit.

l. de Subfig. empir. 10.

INCERTO interprete.

Si Hippocratem, & Andream conferas, illum peritiſſimum, & ſtudioſiſſimum veritatis invenies,

hunc rudem, & temerarium, prorſusque ab Hippocratis gravitate alienum.

l. Meth. med. IV. 4.

THO. LINACRO interprete.

Empirici nec antiquis maledicunt, nec Hippocratem pro nihilo habent; immo vero ipſum laudant, fereque omnia vere dixiſſe affirmant.

l. de Diff. reſpir. I. 4.

JANO CORNARIO interprete.

Etiam in hac parte, quæ ad reſpirationum notitiam ſpectat, longe reliquos omnes Hippocrates antecellit.

SECTA.

l. Medicus, ſive *Iſag. c.* 4.

JO. ANDERNACO interprete.

Rationalis ſectæ auctor Hippocrates Cous fuit, qui & princeps ſectæ extitit, & primus conſtituit rationalem ſectam.

l. Quod opt. med. ſit philoſ.

LUD. BELLISARIO interprete.

Quod per genera ſpeciesque ignota ſit morborum diviſio; idcirco medicis a curandi ſcopis errare contingat, animadvertit Hippocrates, cum nos ad rationalem contemplationem adhortatur.

in l. de Artic. III. 28.

VIDO VIDIO interprete.

In quo Empiricorum impudentiam cognoſces, qui audent Hippocratem appellare empiricum. Fuit enim omnium, qui medicinam exercuerunt, maxime experiens, maximeque experimentorum ſpectator, iisque omnia comprobavit, quæ multis fretus rationalibus argumentis invenit: potiſſimumque rationi corporum incidendorum operam dedit, ut quæ mirum in modum ad artem conferat.

in l. de Vict. acut. III. 62.

JO. VASSÆO interprete.

Quæ medicum, ait Hippocrates, ante animadvertiſſe, ægro non referente, oportet, plurima ſunt. Hæc, qui Hippocratem dogmaticum eſſe putant, locos affectos eſſe dixerunt, & affectiones ipſas, & cauſſas. Sed qui Hippocratem empiricum eſſe exiſtimant, anni tempora eſſe, regiones, ætates, & ambientis nos aeris conditiones affirmarunt.

in lib. de Offic. med. I. 4.

VIDO VIDIO interprete.

Nonnullis placet, ex opinionibus, quas videntur ſectarum auctores inveniſſe, nullam eſſe novam, ſed quæ priori ſeculo tradita fuerunt, una cum aliorum mente interiiſſe. Si quis in opinione ad res ipſas animum advertat, neque Pyrrhonis ſectam, neque Academicam, Stoicam, Peripateticam, nec quamvis aliam, poſt Hippocratem ſumſiſſe initium judicabit, quum Pyrrhonii ad

vetuſtiſſimos auctores ſuam referant ſectam. Quocirca veriſimile eſt, vel adeo non veriſimile, ſed neceſſarium, Hippocratis ſeculo de naturalibus judicandi potentiis diſceptatum eſſe, & quosdam nullam talem poſuiſſe, quemadmodum poſtea Pyrrhonii; quosdam ſenſum dumtaxat; alios nihil huic tribuentes, id verum putaſſe, quod vulgatum eſt, mens videt, mens audit, cætera ſurda ſunt, & cæca: alios utramque dediſſe judicandi potentiam, ſenſum in iis, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, mentem in iis, quæ comprehenduntur intelligentia: quosdam alias animi noſtri potentias concepiſſe. Hippocrates igitur, ut eorum vitaret importunitatem, generatim duarum potentiarum meminit, ſenſus, & mentis; quas ſolas in nobis docet cognoſcendi, ac judicandi vim habere.

AUCTORITAS.

l. de Atra bile c. 7.

BARTHOL. SYLVANIO interprete.

Hippocrate poſteriores inſatiabiliter immeritæ gloriæ libidine vexati, contradictionibus adverſus ſe vetuſtiores adductis, proprias ſectas pravas conſtituerunt.

in l. de Victu acut. I. 44.

JO. VASSÆO interprete.

At potius culpa eos, qui, cum ea, quæ ab Hippocrate bene præcepta ſunt, elaborare, & conficere deberent, laudis appetentia ducti ſectam aliam conſtituunt. Verum nos, qui veritatem honoramus, laudamus Hippocratem cum in cæteris omnibus, tum quod in unoquoque opere pro-

prium ſcopum ita docuerit, ut huic attentus omnino quispiam definitam certamque inventionis auxiliorum habeat viam.

l. An anim. quod in ut. c. 3.

HOR. LIMANO interprete.

Hippocrates antiquus eſt.

l. Meth. med. I. 2.

THO. LINACRO interprete.

Si Stoicis philoſophis in conſeſſum admiſſis judicium permittetur, ex iis placitis, quæ ipſimet ſtatuunt, Hippocrati palmam dabunt.

Ibidem paulo poſt.

Quare Platonis, & Peripateticorum, & Stoicorum judicio, Hippocratis phyſiologiæ victoria dabitur.

Et mox.

Quid ſi Geometris, Aſtronomis, Muſicis, aut Rhetoribus judicium concedet, putemuſne hos, Hippocrate prætermiſſo, ulli alii palmam daturos?

in l. Prognoſt. III. I.

LAURENT. LAURENTIANO

interprete.

Quæcumque arti utilia ab Hippocrate didiciſſe oportet.

l. de Dieb. decr. II. I.

JO. GUINTHERIO interprete.

Hippocrates, vir ut cæteris fide dignior, ita omnium conſenſu decernendi peritiſſimus.

l. de Uſu part. I. 9.

Hippocratis dictio velut Dei vox eſt.

l. de Dieb. decr. III. 12.

Nihil quicquam ab Hippocrate fruſtra ſcriptum invenio.

l. de Decr. Hipp. & Plat. VIII. 5.

J O. GUINTERIO interprete.

Quod ſane pituita alba appareat, eo quod in generatione ipſius exiguæ multæ bullæ excitantur, Hippocrates dicere auſus non eſt, ceu quid ulterioris contemplationis, quam ad artem medicam pertineat.

l. de Reſpir. diff. II. I.

JANO CORNARIO interprete.

Ne quis Hippocraticæ famæ, ac nomini honore habito flectatur, ac citius dictis fidem præbeat, priusquam per demonſtrationes cogatur.

in l. I. *Epidem.* III. 7.

Neque Hippocrati decet diffidere (præſefert enim oculis arbitrata hæc conſcribere) neque mentiri convenit, dicereque etiam ſe ſe vidiſſe. Quare obſervandum nobis eſt ſedulo, & experientia de veritate exiſtimandum.

l. Quod animi mor. c. 9.

JUN. CRASSO interprete.

Hippocrates teſtis ſane fide dignus, atque graviſſimus eſt, ſi quiſquam teſtibus, ut nonnullis mos eſt, decretorum ſuorum veritatem aſſerat. At ego viro huic non tamquam teſti, ut plerique aſſolent, ſed quoniam ejus rationes firmas invenio, idcirco fidem adhibeo, eumque laudo.

l. contra Julian. c. 5.

JUL. ALEXANDRINO interprete.

Hippocrati, præter optimos medicos, philoſophorum etiam optimi conſentiunt.

l. de Uſu part. I. 8.

Imitator, ſi quis alius unquam, Hippocratis Plato fuit, & ab illo dogmata mutuatus eſt maxima.

l. de Decr. Hipp. & Plat. VIII. 5.

JO. BERN. FELICIANO interprete.

Neque ſolus Plato, ſed & Ariſtoteles, & Theophraſtus, aliique cum Platonis, tum Ariſtotelis diſcipuli Hippocratis de Humoribus rationem æmulati ſunt. Quin etiam ex medicis graviſſimi quique, Diocles, Pliſtonicus, Mneſitheus, Praxagoras, Herophilus.

lib. Meth. med. I. 2.

THO. LINACRO interprete.

Rationum Hippocratis de natura Ariſtoteles interpres eſt.

in l. de Alim. III. 22.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Si quis in Ariſtotelis, ac Theophraſti libris ſit verſatus, is ceu commentarios phyſiologiæ Hippocratis illos conſcriptos eſſe, arbitrabitur.

l. de Nat. facul. II. 4.

THO. LINACRO interprete.

Hæc omnia, atque etiam alia quamplurima, tum de prædictis facultatibus, tum de morborum generatione, tum remediorum inventione Hippocrates, omnium poſt hominum memoriam primus recte dixit: Ariſtoteles poſt eum recte eſt interpretatus.

l. Meth. med. I. 2.

THO. LINACRO interprete.

Teſtis cœtus Peripateticus, qui & ipſe Hippocratis Phyſiologiæ principia confirmat.

l. Quod opt. med. initio.

REN. CHARTERIO interprete.

Quod moris patiuntur Athletarum plerique, cupientes quidem Olympiorum victores evadere, nihil autem moliri, quo id conſequantur ſtudentes; idem & multis medicis accidit. Nam Hippocratem quidem laudant, ac omnium principem exiſtimant; ut autem fiant illi inter ſimiles, ipſi omnia potius, quam id agunt.

IMITATIO.

l. Quod opt. med. ſit philoſ. f.

LUD. BELLISARIO interprete.

Certe nos primun ſtudium debemus in philoſophia conſumere, ſi veri Hippocratis æmuli eſſe volumus. Quod ſi fecerimus, nihil impediet, quo minus eo meliores efficiamur, nedum ſimiles, ſi, cognitis iis, quæ ab illo bene dicta ſunt, cetera, quæ arti deſunt, ipſi inveniamus.

in. l. de Victu acut. 1. 17.

JOH. VASSÆO interprete.

Nam quæ ab Hippocrate ſcripta ſunt, ea in prudentibus viris, qui vere artem conſtituere ſtudent, reperiri poſſunt.

l. de Tot. morb. temp. c. 8.

JO. GUINTERIO interprete.

Præſtat vero artem Hippocratis excolere, quod nemo proprie factitavit.

l. de Uſu part. 1. 8.

NIC. RHEGINO interprete.

Cur itaque Plato (præſertim cum Hippocratis imitator, ſi quis alius unquam, fuerit, & ab illo dogmata mutuatus ſit maxima) tam negligenter de unguium utilitate locutus eſt?

CONTRADICTA, ET DEFEENSA.

ARISTOPHANES *Nubibus.*

JO. ANT. VAND. LINDEN. interprete.

TE filiis Hippocratis
Similem, blitum vocant iners.

EUPOLIS ἐν Δήμοις

citante Schol. Ariſtoph. *ibi.*

JO. ANT. VAND. LIND. interprete.

Hippocratis fuere filii nothi,
Soboles inſulſa, nullius frugi bonæ.

Etymologicon in Σύς

Sues Hippocratis filios dicunt, cum Panætio & Memnone ſuillum ingenium cavillantes.

ATHENÆUS.

Deipnoſ. III. 17.

ISAC. CASAUBONO interprete.

Deinceps illata eſt vulva, metropolis revera, & mater filiorum Hippocratis. quos propter ingenium ſuillum ſcio eſſe Comicis irriſos.

GALENUS.

l. Quod an. mores c. 4.

JO. GUINT. ANDERNACO interprete.

Hippocratis autem filii ob calorem immodicum ſtulti Comicorum fabulis ridentur alterius HIPPOCRATIS Athenienſis filii.

l. adv. Lycum, initio.

JUL. ALEXANDRINO interprete.

Qui Hippocratem accuſare, aut pro eo reſpondere vult, priuſquam facit, exerceri eum oportet in ſententia ſenis.

l. de Elem. I. 9.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Hippocrates ſolita antiquorum brevitate utitur.

l. de Uſu part. I. 9.

NIC. RHEGINO interprete.

Multa Hippocrates verbis paucis eos docet, qui ipſius dicta aſſequi poſſunt.

l. de Criſib. III. II.

NIC. LEONICENO interprete.

Multi priſcam brevitatem aſſequi minime conſueti, quædam deficere arbitrantur.

l. de

l. de Fractur. III. 4.

VIDO VIDIO interprete.

Brevitatis Hippocratis proprium eſt, id, quod in propoſito ſermone deſideratur, aperte ex eo, quod ſubjicitur, indicare.

l. de Reſp. diff. III. 5.

JANO CORNARIO interprete.

Quæ eſt igitur via facultatis? oportet enim inde initium ſumere Una quidem communis illa omnibus veteribus familiaris breviloquentia. Altera vero peculiaris illa Hippocratis animi altitudo. Monſtratum enim nobis eſt, quam gravis ſit ſæpe numero hic vir, ut qui ea, quæ aliis medicis nota ſunt, prætereat, velut quæ a nemine eorum, qui artem exercent, ignorari queant; quæ vero talibus ignota ſunt, omnia diligenter, ſimulque perſpicue exponat.

in. l. de Artic. IV. 16.

VID. VIDIO interprete.

Iis, qui hæc requirunt, reſpondendum eſt, Hippocratem eo tantum intendere, ut propoſitam rem exprimat; quod & ipſe Plato faciendum nobis præcipit.

l. de Elem. II. 3.

VICT. TRINCAVELLIO interprete.

Oratio Hippocratis brevis, & conciſa eſt. quia id, quod evidenter apparet, abſque ulla proba-

tione ſcripſit, haud ſuſpicatus fore, qui hæc ignoraret, aut negaret.

l. de Purg. facult. c. 5.

JUL. MART. ROTA interprete.

Sunt, qui omnia potius, quam verba Hippocratis, vera eſſe volunt.

l. de diff. reſp. I. 4.

Sententiam Hippocratis exponere, ac veritatis, quæ in ea eſt, certitudinem iis, qui in noſtra inciderint, exhibere multo melius eſt, quam præoccupare tempus exiſtimationi, ac famæ venerandi ſenis.

l. de Suc. bon. & mal. c. I.

JUL. ALEXANDRINO interprete.

Eorum, qui ab Hippocratica doctrina deſcivere, apud me nonnulli clam confeſſi ſunt, manifeſto ſe quidem cernere cupiditatem contendendi adverſus Hippocratem, interim pudore affici, ſi poſt quinquageſimum demum annum ad Hippocratem deficiant.

in l. Aph. V. 64.

NIC. LEONICENO interprete.

Non ſimpliciter, neque ſemper ſervare brevitatem videtur Hippocrates, ſed in quibus magnum aliquod periculum imminet, ſi negligentius, quod ab ipſo docetur, accipiatur, in his bis terve repetere eadem non veretur.

l. Meth. med. IX. 8.

THO. LINACRO interprete.

Hippocrates, ceu primus inventor, nec debitum omnibus ordinem dedit, nec cujusque indicationis dignitatem ad unguem finivit, & quasdam in ipſis diſcretiones omiſit, obſcureque plurima pro antiqua dicendi brevitate eſt interpretatus.

in l. de Vict. acut. II. 36.

JO. VASSÆO interprete.

Fieri nequit, ut uno libro omnia ad medendum pertinentia, bene ſcriberet Hippocrates, atque ordine doceret, præcipue cum ipſe primus horum inventionem ſit molitus.

in l. de Off. med. I. 10.

VIDO VIDIO interprete.

Hippocrates breviter loquitur, quum quid exiſtimat evidens futurum, ſi qui id ipſum invenire ſtudeant. Non enim rudes docuit, quemadmodum nos nunc, ſed admodum in diſciplinis aſſuefactos, ſic ut ex eorum, quæ prius oſtenſa ſunt, conſequutione, talia per ſe nullo negotio aſſequantur.

in l. de Artic. III. 49.

VIDO VIDIO interprete.

Si quis prima lectione non intelligit, quæ clare ab Hippocrate ſcribuntur, iterum, & tertio, & ſæpius diligenti animadverſione relegat: quod ſi faciat, quæ plane ab ipſo traduntur, omnino intelliget.

l. de Præcogn. ad Poſth. c. 12.

JUL. MART. ROTA interprete.

Solam pulſuum ſcientiam Hippocrates non excoluit.

in l. de Humor. II. 28.

JO. BAPT. RASARIO interprete.

Notitiam a pulſibus profectam vel non habuit Hippocrates, vel certe non exercuit.

in l. de Artic. III. 37.

VIDO VIDIO interprete.

Quædam Hippocrates prætermiſit, vel quod non ex toto univerſam eorum naturam fuerit intuitus, vel quod tam diligentem inquiſitionem ad propoſitum pertinere non exiſtimaret.

in l. de Fractur. I. 9.

VIDO VIDIO interprete.

Sagittariorum exemplum transferre ad vinciendum, exiſtimari debet prorſus fatuum, ſatiusque fuiſſet eos ab Hippocrate nullo modo commemorari, quam acerrime refelli. Nam quæ prorſus ſtulta ſunt, deridenda magis ſunt, quam a ſcriptoribus confutanda. Non tamen prohibeo, quominus, dum in vivis agunt, redarguantur; ac præſertim ubi, qui hæc nugatur, audientibus perſuadet, ut ſibi hominis curationem committant. Fit etiam interdum, ut nos quoque in ſcribendo ſtultis opinionibus contradicamus, ubi multos videmus illis credere, quaſi veræ ſint; quod & nunc accidit Hippocrati, nihil eſſe commune ſagittariis, & vinciendis, oſtendenti.

in l. de Vict. acut. I.

JOH. VASSÆO interprete.

Logicam magis ſpeculationem ſapere videtur, quod ab Hippocrate in quæſtionem diſceptationemque ponitur, cum & ſine hujusmodi ſpeculationibus recte ſanare queamus. Nempe morbos recte ſanare ineſt medicis ex faciendorum cognitione, & non ex inveſtigatione cauſſæ: ob quam ſunt controverſi, qui varias in hujusmodi morbis ſcripſerunt curationes. Eſt vero ſecundum veritatem id non commodiſſimum modo, verum quoque & omnium primum, & quæſitu neceſſarium, ut procedente exponam ſermone: quod enim quæſtione dignum ſit quod proponit, & quo ſolvit modo.

l. de Diæta Hipp. in acut. c. II.

AUG. GADALDINO interprete.

Temere Hippocrati adverſantur, qui ad ejus ſcripta imparati accedunt, priusquam litteras didicerint. Suam enim ipſorum ignorantiam accuſare cum debuiſſent, obſcuritatem Hippocratis reprehendunt: quippe qui ob propriam imbecillitatem non poſſint magnitudinem Hippocraticæ virtutis aſſequi. Ita enim, opinor, affectæ ſunt ad Hippocratis ſcripturas inſipientium, abjectorumque hominum animæ, ut oculi ad ſolem, dum in ipſum intuentur. Ut enim illi de propria imbecillitate redarguuntur a ſolis pulchritudine, convincunturque; quippe qui haud poſſint perſeveranter citra laborem in ipſum intueri, ſed tandem cæcutientes ad tenebroſa ſe vertunt; ita animæ profanorum hominum, quæ prius in en-

cyclopædiis non fuerint educatæ, a pulchritudine ſcripturarum Hippocratis, & fulgure circum circa perculſæ, ac dogmatum lumine vallatæ, quodam modo cæcæ fiunt, & ab iis, quæ majora ſunt, quam ut ipſæ ferre poſſint, averſæ, ad parva quædam, & obſcura, ſuæque ipſarum ignorationi accommodata, accedunt.

l. Meth. med. XI. 15.

THO. LINACRO interprete.

Sed aliqui ſunt (ut Hippocrates ait) qui ex eo, quod ignorant, non parum lucri faciunt.

l. de Venæſ. adv. Eraſiſtr. c. 3.

JOS. TECTANDRO interprete.

Aſclepiades adeo contentionis ſtudioſus fuit, ut mortis meditationem cum Hippocratis, tum veterum medicinam nominare non ſit veritus.

in l. I. *Epid.* II. 50.

HERM. CRUSERIO interprete.

Poſteaquam non parum multos vidi claros medicos jure ob id reprehenſos, quod vel in mittendo ſanguine, vel lavando, vel medicamento dando, aut vino propinando, aut frigida, offendiſſent, cogitavi mecum fortaſſe etiam ipſi Hippocrati tale quid uſu veniſſe: neceſſario itaque multis etiam aliis ejus æqualibus medicis.

A. CORN. CELSUS.

III. 4. *Edit. Lind. p.* 121. *l.* 9.

Igitur ſic ægros nutriebant, ut dierum imparium acceſſiones exſpectarent; deinde poſtea ci-

bum; quaſi levioribus acceſſionibus inſtantibus, darent; adeo ut Hippocrates, ſi alio die febris deſiſſet, recidivam timere ſit ſolitus.

Id Aſclepiades jure ut vanum repudiavit; neque in ullo die, quia par, imparve eſſet, ægris vel majus, vel minus periculum eſſe dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt, & opportunius poſt febrium acceſſiones cibus datur. Nonnunquam etiam in ipſo morbo dierum ratio mutatur: fitque gravior, qui remiſſior eſſe conſueverat. Atque ipſius quartus decimus par eſt, in quo eſſe magnam vim antiqui fatebantur.

A. CORN. CELSUS.

III. 4. *Edit. Lind. p.* 121. *l.* 34.

Eſt etiam apud Hippocratem, ei, quem ſeptimus dies liberaturus ſit, quartum eſſe graviſſimum. Ita, illo auctore, in die pari & gravior febris eſſe poteſt, & certa futuri nota.

Atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrumque efficaciſſimum apprehendit, id eſt quartum, ſeptimum, quartumdecimum, decimumſeptimum; in quo ab impare ad paris rationem tranſit. Et ne in hoc quidem propoſitum conſervavit; cum a ſeptimo die undecimus, non quartus, ſed quintus ſit. Adeo apparet, quacunque ratione ad numeros reſpexerimus, nihil rationis, ſub illo quidem auctore, reperiri, Verum in his quidem antiquos tum celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt.

CÆLIUS AURELIANUS.

Acut. morb. II. 29.

Hippocrates libro regulari (quem diæteticum vocavit) peripneumonicæ inquit remedium aptan-

dum ex cocco, atque galbano, atque attico melle, vel abrotano, ex aceto mulſo, atque pipere admixto, & helleboro nigro. Summum, inquit, eſt etiam panacem in mulſo ex aceto confecto decoquere, & liquatum dare bibendum.

Sed hæc omnia Soranus eſſe judicavit, & propterea reprobanda, adjiciens, quod mulſum ex aceto factum conſtringat, & ſit inconveniens tumori.

ITERUM.

Acut. III. 4.

Antiquorum Hippocrates libro quem ad ſententias Cnidias conſcripſit, ex utroque oportere, inquit, brachio ſynanchicos phlebotomari.

Sed hoc erit vitandum. Siquidem coacervata ſanguinis effuſio animi facit defectionem, & propterea prohibet tantum detrahi, quantum ſufficiat ad relaxandam ſtricturam.

ITERUM.

Acut. morb. III. 6.

Febrem vero ſecundum Hippocratem in ſpaſmum venientem, ſalutarem accipimus; ſpaſmum autem in febrem, pernicioſum: quamquam ejus excludant ſententiam, dicentes, quia ſecundum ipſum febres corpora gravant, multo magis geminant incommodum, cum vehementibus doloribus. Laxat enim, inquiunt, tumorem naturalis, ac mediocris fervor: febrium vero acer, & contra naturam immodicus vexat.

ITERUM.

Acut. III. 7.

Hippocrates libro quem ad ſententias Cnidias ſcripſit, cerotario inquit ungendos opiſthotoni-

cos, & aqua calida eorum crura fovenda. Jacere jubet in lineis ſtramentis, utens ad ventrem movendum collyriis, quæ appellavit balanos, & potiones ex radice bryoniæ, & dauco, atque vino confectis. Offert præterea farinam coctam tepentem in partem cibi, ut ſæpiſſime facit, permittens etiam vinum ſuperbibendum, quando voluerint ægrotantes. Tetanico vero non advertens adhibendam vere phlebotomiam, ſed non ſolam. Non enim dignum, atque ſufficiens tantæ paſſionis unum adjutorium eſſe probatur. Item collyria, ſive balani, & potiones ſupra memoratæ, & vinum intemporaliter datum patientibus, contrarium, atque ſaluti noxium monſtratur. Alia enim tempore importuna nervis officiunt.

IDEM

Acut. III. 8.

Item ſecundo libro, quem de morbis ſcripſit, ait eſſe aliquando conducibile tetanico ſine vulnere effecto, atque primævo corpore, & habitudine vigenti, æſtatis tempore plurimæ frigidæ ablutionem, ſiquidem fervorem reclamet, ac revocet. Dat etiam nigrum helleborum cum pipere, & lacte aſinino carne concocto potat, atque ſternutamentum commovet.

Mirandum igitur, quod in his, qui tali paſſione afficiuntur, frigida utendum exiſtimat Hippocrates, qui jamdudum ait, frigida quæque eſſe inimica oſſibus, nervis, dentibus, & cerebro. Sternutamenta etiam commovere tumores, nulli non dubium eſt. Item aſininum lac nulla ratione

laxare tumentia probatur. Dehinc ſtomachum evertet; ſiquidem ſit tetri odoris, & ſaporis. Item helleborum nigrum nervos obſidet, atque purgando, vel deducendo corpus exagitat.

IDEM

Acut. III. 17.

Veterum autem medicorum, Hippocrates ſecundo libro de morbis, communiter inquit refrigeranda ſuperiora, particulariter autem adhibenda vomifica medicamenta, & phlebotomia ex brachio, & capite. Tunc ſacculum aqua calida plenum deponendo jubet ægrotantes: facere etiam collyrium decem digitorum, quem appellavit balanum, atque hunc ſummo tactu felle taurino ungendum: tunc ſi nihil perfecerit, clyſterem adhibendum. Vel ſi hoc quoque minus valuerit, folliculo artis ærariæ immittendum, inquit, ventum per podicem, quo diſtantia ventris inteſtinorum replicatis folliculis fiat, tunc ſtatim adhibendum clyſterem probat, detracto ſupradicto folliculo, & podicem cum ſpongia obſtruendum, atque in aquam calidam ægrotantem deponendum. Utendum inquit primo tempore paſſionis melle decocto, atque vino.

Secundo libro epidemion multum vini meraci, atque frigidi dari jubet, donec ſomnus, vel dolor fiat crurum, ſuſpicione cauſſarum ſollicitatus: exiſtimat enim vel conſtituit fieri paſſionem incendio ſuperiorum, & frigore inferiorum.

Contrarias igitur virtute materias adhibendas judicavit, non intuens paſſionem ex tumore fuiſſe confectam. Denique principio vomitus,

quem adhibendum probat, aſperat ejus celeritatem: ſiquidem disjiciendo corpora commovet. Phlebotomare autem convenit non poſt vomitum, ſed laxamenti cauſſa, non ut Hippocrates affectandum putat, ob frigidandum corpus. Dehinc ex brachio, non ex capite, neque ſimul ex multis partibus phlebotomare oportet. Etenim repentina ſanguinis effuſio virium defectum faciens, non ſinit congruam fieri detractionem, vel quantum magnitudini paſſionis eſt conveniens. Collyrium autem felle taurino perunctum, omnifariam nocens accipimus: Etenim ob acrimoniam fellis, atque mordicationem tumentia provocat in fervorem, & ob longitudinem digitorum decem immiſſum premit eas partes, quæ neque tenuem liquorem ſine gravatione accipere, vel ferre valent. Nam ex ærario folliculo quid dicere oportet, ſi ubi inflationis metus eſt, immittendum extrinſecus exiſtimat ventum, atque, quod eſt maximi peccati, frigidum his partibus, quæ etiam naturali tactu prægravantur, non aliter quam ſi quemquam in tetanica paſſione conſtitutum cum ſit poteſtatis laxativis curare virtutis, eumdem organis diſtendere contendamus. Advertendum igitur, quod magis roborat vexationem, vel duplicat corporis inflationem, adjiciens graviora, quo etiam per clyſterem liquoribus magis prægravet corpus, ut tumentia importune vento vexata, etiam liquoris percuſſu intemporali feriantur. Item ſpongia apponenda quam probat, extenta magis premit. Utitur autem vino, malis quidem, ſed ſui ſimilibus conſiliis. Neque enim temporaliter declinationem paſſionis obſervavit. Præterea uſu immodico, ſiquidem plurimum dari jubet, & intemperato, quod ſæpe in ſanitate conſtitutos

alienari mente perficit, tunc etiam incongrue, ſiquidem frigido. Omne etenim frigidum tumentia auget. Repugnanti ergo judicio vinum dare perſpicitur, effectum ſomno, atque dolori crurum adſcribens, ſomnus etenim levigata atque ſoluta paſſione efficitur: dolore autem pejorante, & aſperato tollitur. Quod ita manifeſtum eſt, ut demonſtratione non indigeat.

IDEM

Tard. IV. 3.

Hippocrates enim libro, quem ad ſententias Cnidias ſcripſit, helleborandos principio ægros ordinavit, ultimum adjutorium cæteris anteponens. Dat prætcrea panem ita curatum, ut neque ab hominibus recte valentibus poſſe digeri facile videatur. Item pulmentum, atque fœni græci ſemina.

Cum ſint hæc qualitate contraria; alia enim adſtringunt, alia relaxant, & nulli adjutorio tempus adjunxit.

IDEM

Tard. paſſ. IV. 8.

Hippocrates libro Prognoſtico ſignificare inquit lumbricos interfectionem ægrotantis, quoties mortui fuerint excluſi omnibus in morbis.

Herophilus vero libro, quem ad Hippocratis Prognoſticum ſcripſit, ſive vivos, ſive mortuos excludi negat incongruum.

Et Mox.

Chryſippus Aſclepiadis ſectator, libro tertio de lumbricis ſic inquit, Hippocratem ferri, dicentem ſuo libro, eos qui in ægritudinis declinatione cum ſtercoribus egeruntur, nihil grave ſignificare.

Sed neque inquit Dioclem Hippocrati contrariam protuliſſe ſententiam, dicendo mortuos vel inanes eſſe meliores: ſiquidem hic in febribus ſolutionum hoc dixiſſe videtur, Hippocrates autem mortem ſignificare in febribus ſtructuræ.

IDEM

Tard. V. I.

Hippocrates vero libris, quos ad ſententias Cnidias ſcripſit, magis utendum dicit egeſtate, atque vaporatione, & continentia, & danda ſicca, vel arida quæque, & acriora mandenda. Si enim æquibilis æger fiat, hoc eſt, urina facilior, ac ſi ſpiratio difficilis fuerit, quam dyſpnœam vocant, & tempus æſtatis; & æſtas media, dicit ex brachio phlebotomandos, & poſt detractionem factam dat panem calidum vino infuſum, atque oleo, & carnem ſuillam ex aceto decoctam. Dat etiam cantharides tres detracto capite, & pedibus, & primis in tribus cyathis aquæ contritas.

Sed neque quo tempore exercitio utendum ſit manifeſtat, neque usque quo mandenda ſint acriora, vel quando vaporationes adhibendæ.

Dehinc ſi phlebotomare oportuerit, non ſolum æſtivo tempore, ac media æſtate, ſed etiam omni tempore, atque ætati convenire phlebotomiam probamus. Eſt præterea importunum vinum, ac repugnans eo tempore commodis phlebotomiæ. Item cantharides humorem commovent. Carnis quoque offerendæ tempus ſignificare neglexit.

FINIS.

OPE-

OPERUM HIPPOCRATIS

TABULA GENERALIS.

Tomus primus continet.

1 *Hippocratis librum de aeribus, aquis & locis.* . . . . . . pag. 1
2 *De natura hominis.* 33
3 *De locis in homine.* 51
4 *De humoribus.* 89
5 *De alimento.* 102
6 *De morbis popularibus lib. I.* . . 110
7 *De iiſdem lib. III.* 138
8 *Prognoſticon.* 166
9 *Prædictionum lib. II.* . . . 193
10 *De victus ratione in morbis acutis libros IV.* 228
11 *De fracturis.* 282
12 *De articulis.* 326
13 *Mochlicus.* 408
14 *De capitis vulneribus.* 430
15 *De officina chirurgi.* 449
16 *Aphoriſmorum ſectiones VII.* . . 460

Tomus Secundus continet.

1 *Hippocratis librum de corporum reſectione.* pag. 1
2 *De carnibus ſeu principiis.* . . 3
3 *De oſſium natura.* 19
4 *De corde.* 35
5 *De glandulis.* 40
6 *De genitura.* 50
7 *De natura pueri.* 60
8 *De ſeptimeſtri partu.* . . . 90
9 *De octimeſtri partu.* . . . 99
10 *De ſuperfetatione.* 103
11 *De dentitione.* 123
12 *De prædictionibus.* 125
13 *Coacæ prænotiones ſectiones III.* . 142
14 *De judicationibus.* 205
15 *De diebus judicatoriis.* . . . 215
16 *De morbis popularibus lib. II.* . . 222
17 . . . . *lib. IV.* . 247
18 . . . . *lib. VI.* . 258
19 . . . . *lib. V.* . . 293
20 . . . . *lib. VII.* . 319
21 *De adfectionibus ſect. III.* . . 366
22 *De internis adfectionibus ſect. III.* . 401

Tomus Tertius continet.

1 *Hippocratis librum I. de morbis.* 1
2 . *ejuſdem librum II.* . . . 35
3 . *ejuſdem librum III.* . . . 94
4 . *ejuſdem librum IV.* . . . 118
5 *Muliebrium lib. I.* 161
6 *Muliebrium lib. II.* 252
7 *De natura muliebri.* . . . 331

8 De ſterilibus. . . . . pag. 383
9 De morbis virginum. 409
10 De morbo ſacro. 411
11 De inſania. 431
12 De flatibus. 433
13 De viſu. 447

Tomus Quartus continet.

1 Hippocratis de ſanorum victus ratione librum I. 1
2 . ejuſdem librum II. . . . 31
3 . ejuſdem librum III. . . . 60
4 De victus ratione ſalubri. . . 81
5 De inſomniis. 88
6 De ulceribus. 101
7 De fiſtulis. 115
8 De hæmorrhoidibus. . . . 122
9 De veteri medicina. . . . 129
10 De arte. 155
11 De medico. 169
12 De decenti habitu. 178
13 Præceptiones. 186
14 De lege. 195
15 De jurejurando. 197
16 De hominis ſtructura. . . . 199
17 De natura hominis. . . . 205
18 De ætate. 208
19 De ætate fragmentum. . . . 210
20 De ſeptimeſtri partu. . . . 211
21 De ſignificatione vitæ & morbis ſecundum motum lunæ & adſpectus planetarum. 214
22 De liquidorum uſu. . . . 230
23 De medicamentis purgantibus. . . 238
24 De veratri uſu. 241

25 *Antidotos.* . . . . . pag. 243
26 *De exſectione fetus.* . . . 245
27 *De re veterinaria.* 247
28 *Epiſtolas.* 268
29 *Vitam ex Sorano.* 318
30 *De vita & familia ſcriptiſque Hippocratis teſtimonia.* 322
31 *Fragmenta & elogia.* . . . 345
32 *Conſentientia.* 367
33 *Contradicta & defenſa.* . . . 399